

IGNIVOMUS MICROCOSMI VESUVIUS


EUNDEM VORACI FLAMMA DEPASCENS.

SEU

THESES MEDICÆ

DE

INFLAMATIONIBUS IN *GENERE, & IN SPECIE.*



VETERO-PRAGÆ, Typis Caroli Josephi Gerzabek, Anno 1719.

Quas

SUB GLORIOSISSIMIS AUSPICIIS SACRATISSIMI, AUGUSTISSIMI, & INVICTISSIMI

ROMANORUM

IMPERATORIS

CAROLI SEXTI.

GERMANIÆ, HISPANIARUM, INDIARUM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ,

&c. &c.

REGIS

POTENTISSIMI.

SUB RECTORATU:

PRÆNOBILIS, GENEROSI, CLARISSIMI VIRI

D. JOANNIS ADAMI BESNECKER.

J. U. Doctoris, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Consiliarij, in præfata Universitate Carolo-Ferdinandea Pragensi SS. Canonum Professoris Regij, Publici, ac Ordinarij, Inclytæ Facultatis Juridicæ Senioris, nec non Venerabilis Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis Assessoris, ac p. t.

RECTORIS MAGNIFICI.

SUB DECANATU:

PERILLUSTRIS, GENEROSI, CLARISSIMI, & EXCELLENTISSIMI VIRI

D. JOANNIS FRANCISCI LöW,

S. R. Imperij, & Provinciarum Hæreditariarum Equitis ab ERLSFELDT, Domini in Logovvitz, & Modletitz, Philosoph. J. U. & Medicinæ Doctoris, Sac. Cæs. Regiæque Majestatis Consiliarij, in Alma, & Antiquissima Universitate Carolo-Ferdinandea Pragensi ejusdem Medicinæ Professoris Primarij, Regij, Publici, ac Ordinarij, Academ. Cæsar. Leopold. Carol. Natur. Curios. Coll. Acron. dict. Sac. Lateran. Palatij, Aulæque Cæsareæ Comitis, ac Medici, Inclytæ Facultatis Medicæ Senioris, & p. t.

SPECTABILIS DECANI

SUB PRÆSIDIO:

PRÆNOBILIS, GENEROSI, DOCTISSIMI, ac EXCELLENTISSIMI VIRI

D. FRANCISCI GABRIELIS KRUSIJ de KRAUSENBERG.

Philoſoph. & Medicinæ Doctoris, In Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi Praxeos Profeſſoris Regij, Publici, ac Ordinarij.

ANNUENTE:

NOBILISSIMO, ac AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ COLLEGIO.

Pro Suprema Doctoratûs Medici Laurea publicæ ventilationi expoſuit

FRANCISCUS MAXIMILIANUS SEYFFERT Paſſavienſis, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Medicinæ Candidatus.

Annô M. DCC. XIX. Menſe Auguſto, Die 25. Horis poſt Meridiem conſuetis.

HO-

HONORI
ET
VENERATIONI

PRÆNOBILIUM, STRENUORUM, ac CONSULTISSIMORUM

URBIS PASSAVIENSIS

DOMINI CONSULIS,

JUDICIS, ac MAGISTRATUS INCLYTI

DOMINORUM, ac PATRONORUM MEORUM GRATIOSISSIMORUM.



ESTRA vobis defero. Flores ſiſto, eoſque non ex horto alieno, ſed vel hinc VESTRO, quia meo. Adeò nempe, quid quid ſum, totus totus VESTER ſum: Ipſo naſcendi jure, & de-

derivatis in me beneficijs copiosissimis is esse occœpi. Flores isti non solùm colorum varietate, aut foliorum eleganciâ illudunt oculis, vi, & virtute quoque pollent suâ. Nomina inquiritis? Florentissimi Aphorismi Medici sunt, probatissima Empiricorum, ac Dogmaticorum principia, saluberrimæ de dignoscendis INFLAMMATIONIBUS in GENERE, æquè ac SPECIE doctrinæ. Non minus impigro labore, quàm successu apprimè fortunato implantavi eos areolæ mentis meæ. Ubi firmas hìc egêre radices, assurrexerunt in scapum, progerminârunt in pericarpium, ac disruptô tandem calice, publico in tentamine publicæ lucis facti sunt, primas inter curas reposui, ex condigna eorum oblatione suum ijs nundinari pretium, ac conservationem.

Et

Et ubi amabò, aut decentius, aut certius nanciſcar hæc, quam ſi VESTRA ijs DOMINI DOMINI, ac PATRONI MEI GRATIOSISSIMI præfigam NOMINA, quibus tot ego nominibus ſum obſtrictus. Pluribus annis largiſſimè indulto ſtipendio in ſtudijs foviſtis me, gratiarum VESTRARUM ampliſſimo aquæductu tanta jam per intervalla temporũ eorum progreſſum fortunâſtis. Ità profectò me illibata amet, ac depereat veritas, ac ſi ſaluberrimæ Facultati Medicæ Tri-Urbis Czechicæ inſcribere de his floribus debeo, HÆC PLANTAVIT, SPECTATISSIMO MAGISTRATUI TRI-URBIS VESTRÆ PATAVIÆ in acceptis referre neceſſe habeam, quia HÆC RIGAVIT proficua hæc mentis minimè effœtæ germina, quibus ſuũ DEUS dedit, & daturus eſt

incre-

incrementum. Tres inter fluvios positi eorum induere videmini, & naturam: Undas suas largè exposcentibus indulgent. Hausi certè ego hinc beneficia quàm plurima: Flores hi mei ab uno isto latice sunt recreati. Decet profectò hinc plurimum, ut tritæ assurgam, parœmiæ AQUAM HAUSISTI, FONTEM CORONA. Egi illud hactenus VESTRIS ex gratijs: ago istud nunc, at meo ex munere Aphorismis his meis, ceu floribus verè coronarijs VOBIS quàm submississimè oblatis. Me, & vitam meam simul, at nunquam satìs demeritura obsequia, VESTRIS imperijs dico, ac consecro.

PRENOBILIUM, STRENUARUM, ac CONSULTISSIMARUM DOMINATIONUM VESTRARUM.

Devinctissimus Servus
FRANCISCUS MAXIMILIANUS SEYFFERT



PROOËMIUM.

SI magna illa mundi aſpectabilis Univerſitas magnum aliquod animal dici non poteſt, contra Platonem, ex eo, quod ſic vulgò dictus ſpiritus mundi, aut veriùs, quòd anima mundi Platonica, quam mentem ratione præditam ſtatuiſſe inculpatur, admitti nullatenus poſſit; ſaltèm versâ vice, *homo* in corporis ſui fabrica mechanica, & nudo organiſmo conſideratus *parvus* ſemper *mundus*, atque ità, quòd & uſus paſſim inter Philoſophos obtinuit, *homo* adhuc *Microcoſmus*, non Macro-coſmus tamen homo, utpotè non animâ nec ratione præditus, nec quidem animal, ſi ſpiritu & ſenſu caret, appellari poterit. Curioſum ſanè, enactumque compendium, & ectypon Univerſi Homo! ſique verbis Platonis uti

licet, inverſis tamen: *Homo, parvus ille mundus, oſſa habet locò lapidum, venas locò rivorum, pilos locò arborum, inter cujus etiam capillos nutriuntur vermiculi, ùt inter pilos arborum, & fruticum animalia:* Nec pluribus hodie conformitatem Micro-coſmi ad Macro-coſmum expendere lubet, difficulter verò ex eo dabis quidpiam, quod in iſto ſui non habeat analogum.

Si tibi Macro-coſmus indeficiente videtur ſuperbire luce ſolis & aſtrorum; infinitis animæ luminibus adſtat Micro-coſmus; nam intellectu & ſpiritibus imitatur ſolem, motus cœli, cœlorumque intelligentias; calore nativo gubernat omnia, & vegetat. Si hìc Megacoſmus fluminum pollet venuſtate; Micro-coſmus humorum excellit utilitate: habes in pulſu & circulatione ſanguinis fluxum & refluxum aquarum, in reſpiratione ventos, è quibus ſub lætitia ſpirant Zephyri, in ira tumultuantur Aquilones.

Si Macro-coſmus fæcundâ proleſcit terrâ; fæcunditatem terræ viventium nutri-

tricem æmulatur ſtomachus, membris ſingulis de nutrimento proſpiciens: & quæ non major per cuncta & omnia in tota corporis humani fabrica Mega-coſmi repræſentatio?

Quemadmodum autem laudem & gloriam cum admiratione parit Mega-coſmo inductus ille ab Omnipotente Creatore ornatus & ordo ſplendidus, fertilis fæcunditas, jucunditas, florum, arborum, plantarum, motuum, fluminum, cæterorumque in eo contentorum diverſitas, atque delectabilitas; ità in Micro-coſmo ordinatiſſima organorum ſeries, textura, & fluidorum diſpoſitio, actionum diverſitas, & perfectio majoris ferè ſunt admirationis, utilitatis, & delectationis, quando nimirùm exoptata adeſt ſanitas, ut Sol Micro-coſmicus per terrã Micro-coſmicam ſpargens radios, exin jucunda illa excreſcere faciat actionum viridaria.

Aſt verò, ſicut in Macro-ità in Micro-coſmo vitæ, & ſanitatis Sol, ecelypticis perſæpè obvelatur telis, ridentesque veris opes aridâ hyeme marceſcunt, quin

etiam viridantia ex calore Solis ab ejus æſtu contabeſcunt arva. Vernat teneritudine pueritia, æſtuat ardore juventus, autumnus in virorum maturitate conſpicitur, in geliditate denique ſenectutis caneſcit hyems. Invadunt nebulæ in mœrore, & triſtitia, obſcuratur cordis fulgor in animi deliquijs, ecclypſatur cerebrum in catoche & melancholia; in motibus epilepticis tonitrua, in horrore febrili, cordísve palpitatione terræ habemus motus. Pneumaticæ reſpirationis fabricæ in aſthmate, tuſſi, & phthyſi ſufflaminantur, ſpiritus ipſi ventorum animæ, languent in comate, lethargo, remittunt in paralyſi, aſt furiantur in mania, exorbitant in delirijs, & ſi non alijs magísque turbinatis perſæpè ventorum cohortibus exagitamur.

Mille modis lethi miſeros mors una fatigat.

Hunc pallida exſiccat tabes, illum hydropica ſuffocat inundatio, alter fulminanti ſubitò corruit aſtrorum ictu, aquâ & igne infertur devaſtatio terræ Micro-

cro-coſmicæ, paratur excidium homini; torpentibus hìc ad motum ſpiritibus humores in ſtagnationes, & putredinem vertuntur, & ſi quem tamen aquarum collectio perimere non poterat, accensô rogô, ſuccensâ flammâ plagæ Micro-coſmicæ depopulantur, exuruntur, inflammantur partes ſolidæ, ubi fluidæ in motu progreſſivo præpeditæ, bellô, & motu inteſtino incaleſcunt, fiunt incendia Micro-coſmica in æſtus febriles, etiam tantos exardeſcentia, ut extingui nec arte Medica perſæpè poſſint, atque de ejuſmodi incendijs Micro-coſmicis, de inflammationibus inquam tam in genere, quàm in ſpecie hodie Theſium mearum inauguralium eſto argumentum. Faxit DEUS ut in hoc æſtu dulce mihi accidat refrigerium, patientibus verò citrà vitalis caloris exſtinctionem, inflammationum ejuſmodi felix exſtingui.



THESIS I.

Ethymologiam, & quidditatem inflammationis in genere exponit.

SI ille, qui rem aliquam ſuſcipit tractandam à nominibus, juxtà præceptum *Scalig. exercit. 359. ſect. de ſubtil. adversùs Cardan.* auſpicari debet; quippe nomina, ſeu vocabula, teſte Philoſopho, ſigna ſunt conceptuum, conceptus verò rerum, proin ut rei ratio faciliùs eluceſcat, ſtatim in limine noſtrarum Theſium nomen, & appellationem inflammationis tantiſper inquirere juvabit.

Vocatur autem aliàs inflammatio nomine Græcô *Phlegmone*, cujus derivatio non ineptè deduci videtur à verbo φλεγμαίνω, quod idem eſt ac *tumeo*, aut *inflammor*, eſtque inflammatio, ùt infrà audiemus, *tumor præternaturalis*, aut à ver-

verbo φλέγω, quod *urere* ſignificat, inde Phlegmone quaſi uſtio illata, pars namque Phlegmone affecta, quaſi uſta videtur, hoc eſt, circùm circa rubea; color autem rubeus igni appropriatus eſt, unde latinâ voce congruè inflammatio appellatur, nam præter colorem flammeum ardor eſt, urens calor, ac quaſi ignis, aut flamma loco affecto inhærere à patiente advertitur. Fortè etiam abin vocatur inflam̃atio, quòd flammæ adinſtar nonnunquam per vicina loca affectus hic ſerpat, nam quandoque inflammatô manûs aut pedis digitô, tota manus, aut pes inflammatur. Germanis aliàs vocatur eine Rothe Bluethige Geſchwulſt, non enim omnis tumor ſub nomine inflammationis venit, ſed tantùm tumor rubens, id eſt, calore, & ardore rubeſcens, &c. nominatur Eine Entzündung. Et hæc de nominis Ethymologia.

Cùm verò omni quæſtioni, unde denominetur, etiam ſubjungamus, quid in ſe genuinè, & propriè res illa ſit, damus affectûs noſtri definitionem, aut (in quo

Medici non adeò ſtricti ſumus, dummodo rem ipſam ſatis intelligamus) deſcriptionem ſequentem. *Inflammatio eſt tumor præternaturalis urens cum rubore, & dolore, ac renitentia, à ſubſiſtente ſanguinis circulo, hinc ſanguine in parte quadam, coacervato, & ſtagnante orta.*

Dicitur, quòd ſit *Tumor*, unde facilè patet, quòd ad morbos auctæ magnitudinis ſpectet, à collectione enim humorum ſtagnantium neceſſariò elevatur præternaturaliter peripheria partis affectæ, illiuſque magnitudo augetur, plùs minùs tamen pro vaſorum magnitudine, partis aptitudine, & materiæ collectæ copia, ac obſtructionis vehementia. Non videtur tamen purus morbus organicus, ſed etiam intemperiei, ſiquidem, ſi non â priori ſemper, tamen à poſteriori humores ſtagnantes vitium qualitatis habent, aut acquirunt.

Dixi etiam, quòd ſit tumor præternaturalis *urens*, cum *rubore* & *dolore*, ac *renitentia*, quorum cauſas dabimus infrà Theſ: 4. Alij verò ſuperaddunt dolorem

rem esse semper pulsantem, cùm tamen quoque esse possit, & soleat tendens, pungens, gravans, pro partis affectæ conditione, & quamvìs ùtplurimùm tumores tales fieri soleant ex obstructione arteriarum, ut ità dein dolor ordinariô ferè sit pulsans, cùm tamen arteriolæ capillares tantùm sæpissimè obstruantur, quin etiam extrà vasa sanguifera intrà ipsam carnis substantiam circulans sanguis stagnare soleat, & inflammationem facere possit, videtur pulsivus ille dolor non semper ad sensum adesse posse.

Dixi demùm *exortus à sanguine stagnante*, non quidem sanguine illo rubro Veterum strictè sic dicto, quem dari per se negamus, sed à massa sanguinea, & mixtura humorum circulantium, quæ sanè mixtura adesse debet, non enim posset pars inflammari, rubescere, &c. si non diversi inter se fermentabiles & corruptibiles humores adessent, nam & testante experientia humores ex uno solo liquore magis homo-geneo v. g. limpha aut sero, inflammationem conjunctam habere non solent. Quæ-

Quæres tamen:

Primò: An nævi materni rubri ad inflammationem reduci possint? ℞. Negativè.

Secundò: An Phlogosis, & Phlegmone differant? ℞. Affirm:

Tertiò: An sphacelus vulgò der Kalte Brandt possit appellari inflammatio? ℞. Negativè.

THESIS II.

Subjectum in genere, & specie proponit.

Constat corpus humanum secundùm Hypocratem ex contentis, continentibus, & impetum facientibus, hoc est, ex spiritibus, partibus solidis, & fluidis. Controvertitur autem inter scholasticos, num partes fluidæ (idem est de impetum facientibus) dici, aut nominari possint strictum morborum subjectum, ratio dubitandi videtur versari

ſari in eo, cùm nimirùm morbus dicatur conſiſtere in-aut cum læſione actionum, ſequi videtur, quòd, dum fluida actionem ſtrictè dictam non habent, nec morbos habere, conſequenter ſtrictum morborum ſubjectum eſſe non poſſe, ſunt ergò potiùs ſubſtratum, ſeu fundamentum, in quo & cauſa, ex qua, & in qua, morbi radicantur, morbus autem formaliter, & ſtrictè loquendo in ſolidis tantùm collocari poſſe videtur, ſolida quippe unica, & vera ſunt organa pro actionibus, & operationibus vitalibus exercendis.

Patet ergò in inflammationibus ſubſtractum, & radicem, ſeu conſtitutivum materiale tumoris eſſe humores congregatos, & ſtagnantes, calorem, ardorem, & ruborem efficientes, ſubjectum verò recipiens ſunt partes ſolidæ, ſed quæ illæ? Plures ſanè admodùm; nunc enim inflatur, & inflammatur pes, nunc manus, nec tantùm partes externæ, nisì quòad artem Chyrurgicam ſpectare videntur, ſubjectum ſunt inflammationis, ſed etiam internæ, modò enim inflamma-

matur & purpureâ imbuitur tincturâ pulmonum machina, modò exardeſcit ventriculi amphora, nunc tremendo uritur æſtu hepatis moles, nunc nephritico vexatur ardore, & tumore renum ſtructura, modò plevra ſuos conqueritur acutos dolores, & calores, meninges ipſæ, duraque ac pia mater exemptæ non ſunt aduſtionis, & inflammationis, & ſi ullæ, ſolæ fortè partes oſſeæ ſunt, quæ accenſionis, & inflammationis expertes dici poſſunt, & manere ſolent.

Præ cæteris tamen partes carneæ, & quidem tam Parenchymaticæ, quàm, quæ ſunt carnis propriè dictæ, hoc malo potiſſimùm affligi conſuevêre, præſertim muſculoſæ, dein glanduloſæ, & membranoſæ, carneæ quidem, cum pluribus dotatæ ſint arterijs, & vaſis, & copiosô ſemper turgeant ſanguine, qui facilè in ijs remoras diutiores trahendo ex cauſis vel in-vel externis, compreſſionibus, pororum cutis obſtructionibus, &c. facilè condenſatur, & ſtagnationi adaptatur.

Clan-

Glandulosæ verò: cùm illæ ſegregationibus humorum dicatæ ſint, ut quandoque inpuritates allatæ, colatoria ſua pertranſire non valentia, hìc ſubſiſtere cogantur, viámque venientibus liquoribus novis præpediant, utità coacervatio, ſtagnatio, & inflammatio exin ſubſequatur.

Membranoſæ quidem partes ſat frigidæ, ad aſpectum, & vix non, ùt apparent, exſangues, ſuis tamen conſtantes vaſis ſanguiferis, illísque aliquando ſat copioſis, ùt meſenterium, & inteſtina, quapropter in eorum inflammationibus, tenſionibus, aut contractionibus viæ illæ ſanguiferæ adeò quandoque coarctantur, ut curſui naturali humorum remora præternaturalis injiciatur, tanta etiam, ut in coagulum ſecedendo humores ſtagnent, vias infarciant, obſtruant, & inflammationi ſedem præbeant.

De locis verò inflammationum in ſpecie ſubjicienda nonulla forent, ſed commodiùs id pertractabitur Theſi ſequenti,

quenti, ubi de differentijs inflammationum ſermo erit. Intereà ſit hìc

Quæſtio Prima: An in venis, vel arterijs frequentiùs fiat ſtagnatio, & inflammatio? ℞. In arterijs.

Secunda: An cerebrum, utpotè frigidum, inflammari poſſit? ℞. Affirmativè.

Tertia: An ſubjectum Pleuritidis ſit Pleura, vel potiùs ſanguis ſtagnans intrà Pleuram, & coſtas? ℞. Pleura.

THESIS III.

Differentias Inflammationum enumerat.

QUantùm ex Theſi præcedenti liquere poteſt circa differentias inflammationum, aliæ earum dici poterunt ex-aliæ internæ, aliæ partium carnoſarum, glanduloſarum aliæ, aliæ membranoſarum, cùm verò quòad cæ-

cætera tanta adhuc ſuperſit inflammationum farrago, ut, ſi non perſcrutanti confuſio, longus tamen labor ſupereſſe, & paginæ multæ adimpleri poſſe, quin deberi, videatur. Quapropter nos & ordinis, & brevitatis ergò eas ultrà in tres dividimus claſſes, & illas quidem vel cauſæ, vel loci aut partis, vel modi.

Modorum diſcrepationem deſumimus à more, quo invadunt, & accidentijs, vel enim *recens* eſt, & *incipiens*, & vera eſt inflammatio, vel *confirmata*, aut ad ſuppurationem jam vergens, & vocatur *abſceſſus*, qui ſi factus, & majoris aliqualiter eſt collectionis, propriè *apoſtema* vocatur, quod definimus, non eſſe quid aliud; *quam collectionem materiæ purulentæ in partis alicujus cavitate exortam ex diſsipatis, & evaneſcentibus partibus ſpirituoſis ſtagnantis, & congeſti ſanguinis: Reliquis verò ſpiſeſcentibus, grumeſcentibus, acorem contrahentibus, ac cum reliquis particulis ſalinis-volatilibus-oleoſis in ſanguiue efferveſcentibus, uſque dum ab acido non nihil prædominante ſal & ſulffur præcipitetur ac*

in

in pus album abeant. Alia ergò eſt levis, & parva, & facilis curationis, ubi dolor, rubor, & tumor levis, alia *gravior*, ſymptomata illa vehementiora habens, nec tam facilis reſolutionis, ùt altera, & fortè ad ſuppurationem vergens, & hæc iterùm vel *periculoſa*, vel *non periculoſa*, ubi pars non adeò nobilis, nec malum ſuppuratum ex ſui natura tam mali moris, ùt eſt v.g. in Cancro, Herpete, &c.

De differentia verò ratione *partis affectæ* loquendo: alia eſt in parte ex-alia in interna, alia in regione ſuprema, media, vel infima, alia in pedibus, alia in manibus, ſeu brachijs, alia in parte nobili, ignobili vel præſtante, alia eſt in capite, illaque vel ex-vel ad intra & frequentiori occurſu, ſi ad extra, ſub ſpecie Eryſipelatis cujuſdam, ad intra verò meninges perſæpè inflammantur in febribus, doloribus capitis, ex humorum copia, vel illuc ſub calore, æſtu febrili, copioſiùs raptis, vel cum dolore prævio inibi ſtabulantibus, uſitatum harum inflammationum nomen eſt Phrenitis. Item Paraphre-

phrenitis, qui ex inflammatione diaphragmatis oriri dicitur, & per consensum nervi phrenici, patientes, ùt in Phreniti-de, delirare facit.

Inflammantur etiam persæpè tunicæ, præsertim albuginea oculi, & constituit morbum dictum Ophtalmiam. Inflamantur & nasus, & genæ, & aures, & labia: præsertim verò partes faciei occupare solent pustulæ, & maculæ variæ, furunculi, Epinictides, &c. Parotides retrò aures persæpè etiam, & maximè in morbis malignis inflammantur. Morbi aliàs tales inflammationum sunt, phigetlon, Pannus, Phima, in ore, achores, in faucibus verò quàm frequentissimè inflammantur tonsillæ, uvula, & partes faucium aliæ, tot nobis species anginarum constituentia. Frequens aliàs itèm inflammationum morbus est Plevritis, de qua suprà. Huic concomitans aliquando est Peripneumonia, si membrana pulmones involvens simul inflammatur, morbusque est acutissimus, ingensque pa-

tientibus colli, & faucium æſtus, ſitísque inextinguibilis.

Inflammatur & ventriculus, & Hepar, & renes, veſica, inteſtina, meſenterium, ùt inſinuatum Theſi præcedenti: de pedibus, & manibus plura non dicam, cum ijs enim tota corporis peripheria aliquando ferè inflammatur. Talis inflammatio fit v. g. in *variolis*, *morbillis petechijs*, *ſcabie*, *aliisque morbis cutaneis*, *macularibus*, quorum, ùt aliorum, quid juvaret ſpecies omnes recenſere, *carbunculorum* tamen & *bubonum* tam malignorum, quàm benignorum non obliviſcendo.

Ad inflammationes ergò pergo, quæ à cauſarum diſcrepatione ſpecificantur, & hæ tamen tot iterùm ac tantæ ſunt, quot infrà numero cauſas aſſignaturi ſumus, quapropter vel pauciſſimis hæc attigiſſe hìc ſufficiet:

Dividunt autem præ cæteris Authores ſic: quòd alia ſit inflammatio à ſanguine magìs puro; & hanc legitimam appellant, quæ verò à ſanguine, & bile, aliò-

liòve humore mixto ortum trahit, illegitima dicitur, &, vel appellatur inflammatio, Eryſipelatodes, ſi magis à bile, vel Oëdematodes, ſi de pituita multum, &c. participat.

Reſtat tamen præ cæteris omnibus adhuc differentia inflammationis, quæ maximæ, & graviſſimæ meritò nobis eſt conſiderationis, ſcilicet *inflammatio cùm, & ſinè febre, & febris cum inflammatione conjuncta*, ipsâ inflammatione pejorem morbum conſtituit, qui ſat periculoſus eſſe ſolet, ùt eſt Plevritis, Peripnevmonia, Phrenitis, Paraphrenitis, &c. de quibus infrà pluribus.

Quæſtio Prima: An non in omni inflammatione febris adſit, cùm ſemper adſit calor? ℞. Negativè.

Secunda: An calor ſemper ſit Symptoma? ℞. Negativè.

Tertia: An inflammatio colli, ſemper ſit Angina? ℞. Negativè.

Quarta: An detur inflammatio ſymtomatica? ℞. Negativè.

Quinta: An Meliceris, Steatoma,

&c. hnjus generis tumores, bene numerentur inter inflammationes, vel abſceſſus? ℞. Negativè.

THESIS IV.

Cauſas inflammationum internas, immediatas, & mediatas inquirit.

I*Ntereſt magis ſcire, non quid morbum faciat, ſed quid tollat.* Argutiorum in Medicinam Theoricam Criticorum eſt ſententia. Verùm quandoquidem effectus ſemper tantùm propriè tollitur per ſublationem cauſæ, planum mihi eſſe videtur, quod ſanè feliciùs, & faciliùs morbum tollet, qui certiùs ejus cognoverit cauſam; & neſcio ferè, an adhuc morbum ſuſtuliſſe dicendus ſit, qui ſinè cauſæ cognitione patientem curandum ſuſceperit; *tantùm enim* (ùt benè ait *Benedict. Vict. Favent: in Practica ſua magna*) *quiſque curat, quantûm cognoſcit*, cætera non

non ars, ſed caſus, & fortuna præſtant, & propriè Empyria dici poſſet.

Nos autem hodie agnoſcentes abundè, quid utilitatis ex cognitione cauſarum morbi in Medicum, & patientem redundet, operæ omninò prætium judicamus, ut paulò altiùs in cauſas inflammationis inquiramus.

Sunt autem variæ Authorum variorum ſententiæ circa cauſas inflammationum. *Gallenus*, copioſiorem, quàm pars poſtulat, ſanguinis influxum inculpat. *Williſius*, accuſat coagulationes. *Sylvius*, ſanguinem acrem, & viſcidum, itèm extravaſatum. *Helmontius*, ſpinam infixam, aut rem omnem moleſtam, per quam Archœus in furias adigitur. *Carteſius*, ſuccum nutritium impuſum, cum particulis gladiolatis, globulis æthereis tranſitum denegantibus, alij alia habent, ità ut meritò cenſendus ſit hic *felix, qui poterit veram cognoſcere cauſam*: & fortè omnium ſententijs quid veri ineſt, ùt patebit ex infrà dicendis.

Nos verò, ut methodicè hìc agamus,

mus, totam causam inflammationis sic damus: *Omnis inflammatio oritur ex stagnatione sanguinis, humorumve circulantium*, quatenùs scilicet humores illi stagnantes, moras diutiùs trahentes, plus minùs adhuc coagulantur, imò corrumpuntur, unde vasorum cavitates adimplendo, cæteris novis humoribus, continuis pulsibus allatis, remoram injiciunt, ut unà stagnare cogantur, atque sic aucta semper per continuam advectionem quantitate humorum in tumorem denique & inflammationem facescat. Sed fortè inquies, si ergò stagnatio sanguinis aut humorum circulantium causa immediata inflammationum dici potest; quæ erit causa stagnationis? Causa stagnationis est obstructio, aut affluxus humorum major, & refluxus minor. Sed quæ iterùm causa obstructionis, aut affluxûs illius majoris, & refluxûs minoris? explanabimus id, ùt spero, per duas, trésve animadversiones.

Notum autem est, omnem obstructionem duplicem habere posse causam:

una,

una, & prima eſt, quæ ortum, & radicem habet in humoribus, quando illi circulationi inepti, per loca conſueta tranſire non poſſunt, ſic ſanguis præternaturaliter craſſus, acidus, effœtus, impurus, terreſtris, &c. anguſtos carnis, & arteriolarum poros pertranſire non valens, inibi ſubſiſtere quandoque cogitur & ſtagnare.

Altera obſtructionis cauſa invenitur in ſolidis, quando legitimè conformatæ non ſunt, proùt ad circulationem liberam requiritur, & tale vitium in ſolidis, & impedimentum multiplex eſt, paſſim enim, & ſat bene aſſignantur morbi ſequentes in ſcholis Medicorum, *morbi malæ conformationis, in via dicti*; nimirùm primò: Morbus malæ conformationis in via eſt *obſtructio* propriè dicta, quando humor, vel res alia craſſior in cavitate hæret, aut *conſtipatio*, quando corpus durum cavitatem implet, & humorum circulo remoram parit, aut *compreſſio*, quando extrinſecùs res dura, aut premens incumbit, itèm *coalitus, & ſubſidentia*, quan-

do latera partis cavæ collabuntur, & uniuntur, demùm *contractio*, aut *constrictio*, quando latera ad se invicem approximantur, quod fit ab acidis, austeris, adstringentibus, vel siccantibus, aut, quod in supplementum addo, quando partium fibrillæ ob acrimoniam humorum, aliumve dolorem contractæ, vias angustiores faciunt.

Tunc scilicet, & in ennarratis casibus omnibus accidit, ut humores, qui circulari, & moveri continuò deberent in cursu suo retardentur, quin planè subsistere debeant, unde, ùt suprà insinuavimus, denegatô sic humoribus liberô transitu, & durante tamen continuâ illâ novorum humorum appulsione, & advectione, ex coacervatione in momenta semper majore & majore, ubi parcior, & minor eorum est revectio, tandem pars illa affecta ex infarctu majore repletur, fortiùs distenditur, & in tumorem elevatur.

Demùm hìc superaddendum, inflammationem etiam sic fieri posse, quando nimirùm à quacunque causa sanguis

extravaſatur, ut ità extra vias ſtagnare, corrumpi, cæterìsque adhuc humoribus impedimento ad circulandum, & ità cauſa inflammationis eſſe debeat.

Sed & fortè videtur adhuc reſtare modus unus, quô inflammationes, aut obſtructiones, & ſtagnationes oriri poſſunt, eſtque talis. Humores ſub æſtu, agitatione, aut motu majore, ſeu fermentatione neceſſariò magìs attenuantur, & per conſequens rarefiunt, unde etiam citiùs, & velociùs per corpus decurrunt, circulantur, copioſiùs partes irruunt, largiùs arterias, & vaſa diſtendunt; nunc, quod neminem anathomicorum latet, cùm arteriæ ex largo ſemper vergant in acutum, venæ verò ex acuto, & anguſtiori in largius, ſub majori humorum rarefactione; dilatabiles arteriæ majorem quantitatem in ſe recipiunt, & vis fortior pulsûs, humores illos majori violentiâ ultrò premit, tunc verò, diſtenſis & infarctis adeò arterijs, neſcio, an venæ totum illud reabſorbere poſſint, & maximè, ſi cauſa p. n. externa, v. g. infrigidatio, vel

 ſimile

ſimile quid accedat, imò cùm de ordinario, & per ſe, ùt *Willisius* docet, poſt omnem reſolutionem ferè ſemper accidat, aut ſaltèm facilis fiat coagulatio, neſcio, an non facillimè in extremitatibus vaſorum ſtagnatio fieri poſſit, præſertim adhuc, ubi humores à priori fuerant viſcidi, pituitoſi, qui quidem ſub ipſo æſtu reſoluti, & attenuati fuêre, ſed de novo facilè rurſum coagulantur, unde obſtructio, inflammatio. Videtur tamen modus hic fiendarum inflammationum ſuô modô reduci poſſe, vel ad vitium humorum ex quanto, aut etiam partium ſolidarum, ſi tamen & tertium ſtatuere lubet, dicemus id vitium eſſe in modo affluxûs humorum majoris; nimirùm, quam venæ revehere poſſint.

Et hæc de cauſa interna inflammationum ſufficiant, brevibus tamen hìc etiam perquirere liceat cauſas ſymptomatum inflammationem concomitantium, & conſtituentium.

In omni autem inflammatione primò adeſt *tumor*, cujus cauſa eſt affluxus humo-

humorum major, quàm ſit refluxus, unde, cùm humores in parte affecta congregentur, & ſubſiſtant, pars ea neceſſariò attolli, & in tumorem elevari debet.

Secundò adeſt *tenſio*, *& dolor*, auctâ quippe, ùt dixi, humorum in motu retardatorum quantitate pars inflatur, & infarcitur, unde fibræ illius tenduntur, quam tenſionem, & imminentem ſolutionem continui, hoc eſt, fibrarum dilacerationem cognoſcens anima, neceſſariò dolorem concipit, ex lege unionis, qua corpori in ejus vitam, & conſervationem juncta eſt.

Dolor autem ille nunc magìs eſt pungitivus, lancinans, terebrans, acutus, tenſivus, aut etiam gravativus, proùt etiam pars affecta, vel magìs ſenſibilis, nervea, carnea, membranosáve eſt, & proùt humores magìs acidi, acres, aut corrodentes, craſsíve ſunt. Solet etiam de communi dolor adeſſe *pulſatorius*, in inflammatione ſaltèm majori, ſi enim nec ramus arteriæ major in ſe obſtruitur, ex conſenſu tamen viarum, imò

ex

ex vicinitate compreſſionis ſimul afficitur, & advertitur tunc dolor pulſatorius, illeque tantò fortior, quantò validiùs natura ad partis affectæ, & obſtructæ reſerationem ſpiritus dimittit, motumque, pulſumque humorum adauget. Itèm proùt pars inflammata majoribus, vel minoribus; aut paucioribus arterijs eſt prædita, non tamen ſemper adeò advertibilis.

Cauſa *ruboris*, qui adeſſe ſolet, varijs ſtatuitur varia. *Hyeron. Fabric.lib*: 7. *de Tumorib.p.* II. *pag. m.* 572. dicit, quòd ſit calor; alij inculpant ſanguinem, qui tranſparendo per tenuem cuticulam oculos adſtantium rubore ſuo perſtringit, & perſuadet; *Carteſius* verò, ut omnem colorem in diverſa pororum corporis diſpoſitione, & configuratione conſiſtere dicit, ità ruborem in inflammationibus ex tali reflexione, & luminis repercuſſione deduxit, & tametſi dicatur, quòd rubedo hæc oriatur à ſanguine, ipſe ſanguinis rubor ex ſimili reflexione globulorum, & ætheris, ſeu luminis conſiſtere videtur, ſplen-

ſplendidior tamen hic rubor tantò magìs eſt, quantò vehementiùs pars ipſa inflammata, hoc eſt: in calore, & ardore conſtituta eſt, ob motum partium vehementiorem, celerioremque particularum & reflexi luminis motum, & variationem.

Cauſa *renitentiæ*, circa quam quis facilè objicere poſſet, ſanguinem eſſe humidum, & mollem, adeòque non poſſe cauſare renitentiam, ad quod autem reſolvendum dico, verum quidem eſſe, ſanguinem eſſe mollem, cùm verò ibi magìs impellatur, & ſtagnet nonne etiam particulæ ſibi magìs uniuntur, intricantur; & coeunt, unde cum vaſorum diſtenſione renitentia major, dum verò jam aliquæ particulæ rursùm diſſolvi, & ſeparari incipiunt, & major reliquis in ſuppuratione iterùm patet locus, renitentia illa magna, & tumor ceſſant: pro exemplo, liceat ſumere aquam vulgarem, quæ mollis eſt, huic, ſi veſicam quandam exſiccatam impoſueris, & maceraveris, duo

duo habebis mollia, ſed reple veſicam illâ aquâ, ità, ut nullum intercludatur vacuum, nonne manifeſtam digitis percipies renitentiam, modicô verò aquæ effusô, ut remanenti locus pro mutatione remaneat, non tantam ampliùs reperies renitentiam.

Supereſt, ut adhuc dicamus, quomodo ex inflammatione fiat Abſceſſus, ſeu quomodo pus illud generetur, ſi inflammatio confirmata ſuppuretur? Et reſpondemus, illud paucis quidem, ſed ſat claris dictum eſt ſuprà Theſi 3. ubi de differentijs inflammationis, & ubi Abſceſsûs, & apoſtematis definitionem dedimus.

Sed & alterum adhuc eſt, unde febres illæ, quæ aliquando, & ùtplurimùm inflammationes majores concomitantur, an â pure illo, in quod abeunt inflammationes diuturniores, ſic enim inſinuare videtur illud *Hypocrat: ſect. 2. aphor. 47. Dum pus fit, febres fiunt.*

Verùm non à pure illo febres fieri ex hoc conſtat, cùm febres tantùm fiant, ubi pus

pus ſit, non pure factô, ergò non à pure, ſed cum pure, quando ſcilicet illud ſit, etiam febres fiunt, *pure autem factô*, ùt idem *Hypocrates* habet: *Febris, & calor remittunt*, ergò non à pure, nec ex ejus commixtione cum humoribus febres fiunt, ſed cauſa quærenda eſt alibi. Sit ergò hìc

Quæſtio Prima: An generatio puris ſit purum opus naturæ bene operantis, ut, quando nimirùm illa noxium illud, & materiam ſtagnantem reſolvere, & diſcutere non ampliùs poteſt, inſtitutô tali febrili motu naturæ criticô illud in aliud quid eliminationi, & excretioni magìs proportionatum concoquat? ℞. Affirmativè.

Secunda: An ergò febris omnis dici poſſit talis motus naturæ criticus? ℞. Affirmativè.

Tertia: An omnis inflammatio ſuppurari debeat, & ſi non, quorſum materia, & humores ſtagnantes perveniant? ℞. Ad primum, Negat: Ad ſecundum diſſipantur.

THE-

THESIS V.

Causas dispositivas, & procatharcticas enumerat.

INter numerum causarum procatharcticarum nobis veniunt omnia, quæcunque vel ad obstructionem, vel compressionem viarum, humorum incrassationem, &c. concurrere, juvare, aut disponere possunt, ùt sunt, ex rebus p. n. contusio, fractura, disruptio, luxationes, vulnera, &c. cum quibus vel extravasatio, vel fluxio, vel dolor fiunt, & ex ijsdem facilis, vel viarum obstructio, constrictio, compressio, vel humorum incrassatio, stagnatio, & inflammatio.

Aliàs verò ad morbum hunc dispositi valdè sunt, qui temperamenti sunt humidioris, complexionis sanguineæ, aut qui acidô p. n. abundant, & quorum sanguis particulis multis heterogeneis scatet. Inter res naturales quoque fomes summus ad hunc affectum delitescit,

&

& quidem aër, frigidior ſanguinem coagulando, poroſque obſtruendo cauſa fit hujus mali, inde enim vapores antea per ex-& tranſpirationem avolare ſoliti, aliam nunc induunt faciem, & arma in ſe ipſos convertendo bellum inteſtinum ineunt, non nisì ſanguine expiandum, ùt pulchrè diſſerit *Waldſchm: diſp. Med. 11. fol. m. 553.*

Cibus etiam, & potus vel maximè hujus affectûs origo, & cauſa ſunt, cibi ſcilicet acidiores, craſſiores, tenaciores, crudiores, & maximè copioſiori quantitate aſſumpti chylum vitiant, craſſiorem reddunt, & aceſcentem, & ſtagnationi magìs aptum. Exceſſus in potu, præſertim vini crudioris, & acidioris, itèm cereviſiarum fortiorum. Plurimùm contribuit ſomnus etiam longior, eò, quòd ſpiritus torpidos reddat, & minùs agiles. Vigiliæ verò nimiæ, quia corpus enervant, humores ſpiſſos, & viſcidos poſt ſe relinquunt.

Motus, & quies pari modô huic affectui ſuffragantur, quies enim nimia tor-

pedinem in ſpiritibus, viſcoſitatem in humoribus, motus verò nimius ſpirituum debilitatem infert, & circulationis tarditatem, humorumque incraſſationem.

Si etiam, quæ naturaliter excerni deberent, retineantur, aut quæ retineri debeant, excernantur, facilis fit inflammatio, in priori enim caſu, excrementa maſſæ ſanguineæ p. n. commixta, & retenta, effœtam illam reddunt, impuram, atque ex tantis fœcibus ſaltèm in extremitatibus viarum, glandulisque ſeparatorijs, aut colatorijs obſtructio.

Inter paſſiones animi, præſertim triſtitia hunc affectum fovet, abſumitur enim in mœrore humidum ſpirituoſum, craſſumque heterogeneum congregatur, impediuntur enim, & in mœſtitia ſecretiones naturales, in ſanguine permanent, cum alijs particulis nunquam ſatìs reſolutis, nunquam ſatìs exaltatis, elaboratis.

Aliàs etiam è rebus non naturalibus, ſeu non neceſſarijs plures ſunt, quæ affectui noſtro viam ſternunt, nè autem prolixus

lixus nimis sim, sufficit declarâsse, quòd omnia, quæcunque ad impuritatem sanguinis facere, earum secretionem impedire, vel quocunque modô concurrere possunt, causæ dispositivæ, & externæ hujus affectûs dici, & haberi possint. Intereà, pro majori hujus Theseos dilucidatione, sit

Quæstio Prima: An ira possit esse causa inflammationis? ℟. Affirmativè.

Secunda: An medicamenta calida stagnationem inducere possint? ℟. Affirmativè.

Tertia: An inflammatio partis ex contagio haberi possit? ℟. Affirmat:

Quarta: An angina possit esse morbus contagiosus, vel epidemicus? ℟. Affirmativè.

THESIS VI.

De Diagnosi discurrit.

IGnoti nulla cupido, ergò, & frustra est curare morbum, qui non per signa

cognoſcitur, jamque notum effulget Medicorum axioma, adeòque, nè nos hac in parte degeneres videamur, non abs re judicavimus ſigna quoque annectere, quæ morbi præſentis notitiam cuique manifeſ-tent, cùm verò quis facilè objicere poſſet, non opus eſſe hìc multa velle blatrare de ſignis, cùm aliunde ubi dolor, ibi morbus, & cuivis manifeſtum ſit: omne, quod præternaturaliter rubet, tumet, pulſat, & dolet, phlegmonis, ſeu inflammationis intitulandum eſſe nomine, quia tamen in generaliori differentiarum prolatione eas, nempe inflammationes, in internas, & externas dividere nobis arridebat, non immeritò quivis; quamvìs aliàs oculorum, & linguæ acutie præditus, nobis aſſenſum condonabit, hac quoque in re, tum genericam, tum ſpecificam inferre diagnoſim, cùm facilè quivis externam intuens rubedinem p. n. dicere, queat: adeſt inflammatio. Non abſonum tamen veritati eſt, hoc quoque in caſu multos à veritate deviare, tam, quia ſæpè ſæpiùs phlogoſtica rubedo eam mentiri, quàm

quàm internarum partium occultare constitutio valet, adeoque lubet adhuc imprimis genericam afferre, præsertim externarum partium phlegmonum, differentiam, deinde particularem etiam occultarum, seu internarum. Sit itaque generica (juxta jam factam in definitione, & causis) diagnosis, ubi cuique se manifestat inopinatus isthic hospes, cum calore excellenti, dolore intolerabili, rubore intenso, febre præternaturali, renitentiâ accusabili, & pulsatione morbidâ, quæ omnia simul sumpta, & ritè perpensa sat dilucidè inflammationem assignant.

Diagnosis autem inflammationum internarum multò difficilior est, in ijs tamen, quodcunque lumen haberi potest ex dolore, & actionum læsione, & alijs symptomatibus, actiones autem læsæ, sicut in animales, vitales, & naturales dispertiuntur, sic quoque animales capiti, vitales pectori, naturales abdomini attribuuntur. Atqui sic asserimus, omnis generis inflammationes ad triplex hoc

divisionis genus deduci posse, & quidem primò, in suprema regione haud rarò per furorem, delirium, imò & rabiem patescit stasis phrenetica, seu meningum, cerebrique inflammatio, per periculosissimam febrem, dolorem intensissimum, faciei, & maximè oculorum ruborem confirmatur, ac per stuporem, soporem, & mortem nonnunquam absolvitur, secundò, mediam regionem obsideri demonstrat pro partis diversitate actionum læsio: designatur angina obscura, ob deglutiendi, respirandi, summum conatum, febrem continuam acutam, & dolorem ad faucium radices magìs perceptibili, & linguæ tumorem. Ità pulmones, difficilis respiratio, febris intensa, dolor in superioribus, maximè ad claviculas, & fauces ad linguam, in qua, si siccitas, asperitas, adustio, & sitis inexstinguibilis adsit, signum peripneumoniæ est. Pleuram pungitivus lateris dolor, cum febre acutissima, difficili, & dolorosâ inspiratione, sputum non rarò cruentum, aut aliud, & tussis molesta, ac summè dolorosa con-

co-

comitatur. Diaphragma ſingultus, febris, & dolor ad ſpurias, ſeu infimas coſtas demonſtrat. Tertiò tandem inflammationem in infima regione commonſtrant, v.g. in ventriculo, dolor ingens ad ſiniſtram ſub coſtis ſpurijs regionem, ſe ſe quandoque ad fauces uſque extendens, vomitus frequens, ac continuus aſſumptorum, febris cum animi deliquio, cardialgia, agripnia,&c. Et inflammatur rariùs lien, ad hypochondrium ſiniſtrum ſuum extendens dolorem, &c. hepar ad dextrum cum bilificatione læſa, ità, ut facilè ei ſuperveniens oriatur icterus. Inteſtina media abdominis continet, & proponit regio. Meſenterium obtuſum adeò, & occultum prodit tumorem, doloremque, & non nisì febris ferocitas, corporis atrophica contabeſcentia ſæpè cum funeſtiſſimo declarat progreſſu. Renes, veſicáque ſuum declarant hoſtem per ardorem, calorem, dolorem urentem, mictum aliquando cruentum, aſt non nisì jam adauctô malô, ab initio verò rarò, & vix non cum nephritico dolore, ad lum-

bos tendente, urinâ flammeâ, & sæpè sanguine commixtà, cum urgente dolore ureterum ductum, & vesica patefit. De cæteris partium internarum læsionibus plura allegare supersedemus, videri potest eorum diagnosis sub proprijs capitibus, hoc unicum hoc locô adhuc monemus: calor internorum, & frigus externorum, inflammationem internam assignat. Calor, & dolor internus subitò remittens inflammationem in gangrœnam abijsse, commonstrant, sed spectant hæc fortè magìs ad prognosim. Quare sit

Quæstio Prima: An inflammationes internæ ex urina rubicunda dignosci possint? ℟. Negativè.

Secunda: An febris cum inflammatione designet suppurationem? ℟. Negativè.

THESIS VII.

Quæ per prognosim futurum declarat statum.

Præ-

PRædictio, & prænotio ſubſecuturi, aut boni, aut mali morbi eventûs, non modò *Medici caput exaltat, ut in conſpectu magnorum collocetur. Eccleſiaſt: 38. v. 3. & 4.* ſed & ei magnum in medendi methodo ſuppeditat auxilium, iſte enim doctis, vulgo, & plebi prudens audit Medicus, qui certis edoctus ſignis afflicti interitum (& per hoc ab omni immunis erroris inculpatione) vel ſaltèm & patientis ergà ſe adauget fiduciam, imò iſta eum haud rarò ab omni eo diſtinguit, qui ſe artis Medicæ adſcriptum fatetur, minimam verò, aut nullam hauſit ea in arte eruditionis guttulam. Illa quoque non levis eſt prognoſeos utilitas, quòd Medicus providus præordinare valeat, & ſciat, quô tempore patienti medicina exhiberi, ac remedium applicari debeat. Tertiò itèm, cùm omninò verum ſit illud Poetæ: *Sæpè tibi doctâ, plus valet arte malum*, & Medici ſcientia nonnunquam à morbi ſuperetur violentia, *eſt tamen prudentis hominis, primùm eum, qui ſervari non poteſt, non attingere,*

 nè

nè videatur occidisse, quem sors ipsa interemit. Deinde, ubi gravis metus est, sinè certa tamen desperatione, indicare necessarijs, periclitantis in difficili rem esse, nè si victa ars malò fuerit, vel ignorâsse, vel fefellisse videatur, sed ut hæc prudenti viro conveniunt, sic rursùs histrionis est parvam rem attollere, quò plus præstitisse videatur. Cels: L. 5. c. 26, pag. 283.

Pro commutatione proinde fraudis in laudem, immeriti in meritum, cupressi in palmam, veri induentes officium Medici, verô, & sincerô nos induentes Prognosticô, tripartitam nobis proponimus conditionem inflammationum, & quidem primam ex morbi magnitudine, symptomatibus, & accidentibus; secundam, ex causis eam producentibus; tertiam, ex constitutione subjecti, & partis affectæ.

Sit igitur primæ satisfaciendi conditioni primus locus à subjecto, & parte affecta, illud verò primò primùm universaliter bonum, aut malum, sicuti omnibus reliquis in morbis, sic & huic inflamma-

to-

toriæ affectioni ſalutem pollicetur, aut lachrymabile canit epicedium. Teſtante *Germano Hypocrate lib. 5. c. 26. pag. 285. Facilior ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quàm ſenior, valens, quàm infirmus, neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quàm ſi alterum ex his, integri habitûs, quàm corrupti, exercitatus, quàm iners, ſobrius, & temperans, quâm veneri, vinoqve deditus.* Abundant enim vires naturæ in juvene, quæ in ſene, aliunde fluxionibus obnoxio, abſunt, infirmus, ob malam humorum craſim, ſæpè recidivas facit, nimis tenues, proni efficiuntur pro, levi datâ anſâ, vaſorum ſolutione, athletarum boni habitus ad morbos periculoſos proni exiſtunt, referente Coo, imò omnia ſimilia ſubjecta, quæ non adæquatâ gaudent ſymetriâ, magis, periculoſiuſque decumbere, Theſes de cauſis longè, latéque deducunt, puerperarum, ſicuti omnes morbi, ſic & phlegmonæ periculoſiores, *Waldſch. in caſib. Medic. fol. mihi 358. & 359.* ſubjecta cacochymica, plethorica non excludimus. Cùm verò totum ſinè partibus non

ſit,

ſit, particulares nonnunquam obveniunt inflammationes, quarum tamen eæ, quæ communioris, aut nobilioris officij, tenerioris, ac ſenſibilioris ſtructuræ, largioris, ac intricatioris vaſculorum texturæ viſcera occupant, aliàs inflammatio partium carnoſarum non adeò periculoſa eſt, ùt membranoſarum, cùm faciliùs ſolvatur, & ſuppuretur feliciùs, ſi verò viſcera interna inflammentur, pro partis nobilitate periculum majus adeſt. *Sic à morbo laterali inflammatio pulmonis, malum. Hypoc. ſect. 7. aphor. 11. A pulmonis inflammatione phrenytis malum. Aphor. 12. Ubi in febri non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, læthale. Sect. 4. Aphor. 50.* Signum namque eſt, magnam in pectoris partibus, præſertim diaphragmatis, inflammationem exortam fuiſſe. *Aphor. 17, ſect. 7. In hepatis inflammatioue, ſingultus malum.* Quod & de alijs viſcerum inflammationibus cum ſingultu frequentiſſimè docet experientia, quod indicium eſt auctæ, viciniſque partibus valde ſenſibilibus communicatæ

tæ phlegmonæ. Et hæc dicta de consensu. Si verò ipsam partem considerare arridet, certissimum est, partes superiores, & interiores, nimirùm cerebrum cum suis consodalibus, ob animales facilè læsas actiones, esse periculosissimi eventûs, mox enim ratio sufflaminatur, delirium subsequitur, &c. In pectore periculosæ internæ inflammationes, ob vitales operationes: haud rarò namque minantur suffocationem, utì in angina patescit, in qua aëri liber ad pulmones denegatur transitus, stasis communicatur pleuræ, pulmoni, mediastino, & sic facilè cor quoque tangit, & angit. Summum aliàs imminet periculum, si internarum partium æstus est, externarum verò frigus, ùt emphaticè exprimit Divus noster senex his verbis: *In morbis acutis frigus partium externarum malum. Sect. 4. Aphor. 48.*

Infimam tandem petens regionem, naturales plùs minùs violat actiones, in ventriculo cardialgiam, vomitum, anorexiam, & quod intolerabile, dolorem immanissimum, & ob viciniam diaphragma-

matis, ſingultum, ſpirandi difficultatem parit. In meſenterio, utero, veſica, renibus, liene, hepate, terribilia, & atrociſſima infert ſymptomata, ex ijs pericula, ex periculis deſperationem, ex deſperatione mortem. Si tamen tumores interiores dereliquentes partes ad exteriores ſerpant, bonum eſt, cùm ſemper meliùs ſit metaſtaſim fieri à parte nobiliore ad ignobiliorem, nisì illa quoque ad nobiliorem accedat.

A morbi magnitudine tale eſt prognoſticon: omnes leves, parvæ, ſuperficiales, in partibus externis, ignobilibus, faciliores, non periculoſæ, inſenſibiliter, diſcuſſibiles habentur, ob cuique manifeſtam rationem, tum, quòd cauſa ſit levis, quæ forti à natura facilè ſolvitur, ac ſuperatur, tum, quòd obſtructio tanta non eſt, non magna ſit actionum læſio, & quod optimum proximè adſtant emunctoria univerſalia, nempe pori cutanei, è contrario magnæ, pertinaces, conjunctæ cum alio morbo, magno dolore, febri, non rarò non vacant periculô. De

tali-

talibus etiam loquitur *Hypocrates*, quando dicit: *Repletiones ad extremum progressæ difficiles sunt. 1. Aphor. 3.* Itèm, *Galen. lib. 5. c. 4. Nihil est, quod profluvium magis, quàm dolor proritat, & phlegmones auget.* Inter alia, inflammatio interna, quò majorem dolorem, febrem junctam habet, & pars affecta est nobilior, eò plùs periculi protendit.

Sic etiam pro magnitudine causæ, si levis, & ex levi causa; facilè resolvitur, quò verò causa major, malignior, eò periculosiùs malum, sic, si causa sit impura, comixta, aut cacochymica, in plures exitiosos degenerat morbos, ut sanguis serosus, ichorosus, &c. in ulcera, furunculos, & abscessus: viscidus, terrestris; in scyrrhos; acidus, & causticus in ulcera serpentia, cancros abit: interna semper periculosior, quàm externa. etiam tumor, & inflammatio meliùs est ab intrà ad exträ, quàm ab extra ad intrà ferri.

Aliàs, quò majora adsunt symptomata, eò periculosiorem inflammationem arguunt, convulsiones in inflamma-

tio-

tionibus malæ, febres, & deliria mala, ubi ſomnus verò deliria ſedat bonum. *Hypocr. 2. Aphor. 2.*

Plura verò, quæ ſpecialiter circa prognoſes inflammationum ſpecialium dari, & dici hìc poſſent, proprijs ſub capitibus, qui fuſioribus, & ſpecialioribus volet, apud Authores practicos quærat, & inveniet.

Pro concluſione annectimus modum, quô omnes terminare ſe ſolent inflammationes: vel enim inſenſibiliter diſſolvuntur, & diſcutiuntur (ſi leves) à naturæ viribus; vel, ſi tenaciores, particulæque activiores in actum deductæ ſint, lucta, actio, & reactio, & tandem quid tertium, ſeu pus producitur. Quòd fiat manifeſta illa pugna, docet Medicorum Abavus *Hypocr. ſect. 2. Aphor. 47. Circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quàm ipsò facto;* cùm autem febris fiat, & habeat calorem, calor dependeat à motu, neceſſe eſt, fieri ibi motum præternaturalem, per quem pus laudabile, & coctum præcipitatur. Dum verò ante

te

te tempus, vel ab ipſo naturæ conatu, vel im̃oderato repellentium, diſcutientium, & reſolventium uſu particulæ ſubtiliores avulſæ, craſſiores verò relictæ ſunt, in ſcyrrhoſam abit ſubſtantiam, ſi verò refrigerantibus, & ſopientibus importunè cura continuata fuerit, ut calor nativus ſuffocetur, humores cum parte corrumpentur, emunctoria præcludantur, quô factô, ingraveſcente membranoſarum partium tenſione, fibrarumque ſtrictura, ſanguis à libero ad periphæriam curſu, ac recurſu præpeditus, ac repreſſus plùs ſemper intrò colligitur, donec naturâ ſenſim languеſcente, fortiùs ſubſiſtere, copioſiùs colligi, ac in abſolutam, & per vicinas partes ſerpentem ſtagnationem fatiſcere incipiat, ex quo altiori inflammationis gradu facilè gangræna oritur, eſtque ſphaceli præcurſor, & inſtantis mortis, nisi enſe recidatur, nè pars ſincera trahatur. Sed de tali inflammationum cura, pluribus infrà. Sit igitur

Quæſtio Prima: An Hypocratis Aphor: *Acutorum morborum non ſunt cer-*

 tæ

tæ prædictiones, neque ad ſalutem, neque ad mortem, in omni inflammatione locum habeat? ℞. Negativè.

Secunda: An Medicus patientem deſperatum, præmiſsô Prognoſticô, derelinquere poſſit? ℞. Negativè.

THESIS VIII.

Indicat, quid in cura univerſaliter faciendum.

OMnis medendi methodus fit per indicationes, inquit *Galenus lib. 11. cap. 7.* adeò, ut vix quiſpiam citò, tutè, & jucundè ſuam nanciſcatur curam, qui non generaliorem ſibi per indicationes conciliaverit Idæam, cur? cui? & quale applicare intendat remedium? ſic nos, non deviantes à communi norma, & Galeni præcepto, noſtræ quoque curæ quæpiam præmittere volumus univerſalia, indicationes ſcilicet: non immemores, cur? cui? & quale appli-

plicandum ſit remedium? cùm non omnis inflammatio eadem expetat, neque omnis eadem ferat remedia partis conſtitutio. Sic & *Galenus* dicit: Poſſe quidem de inflammatione in genere dici, ut ità illius deſcribatur curatio, ſed talis tamen, quæ inſufficiens ſit futura, ſi ad particulares inflammationes v. g. jecoris, oculorum, &c. fuerit deventum. Unde ſemper parti affectæ appropriata adjicienda ſunt, quod & vulgaris edocet medendi methodus. Itaque haud difficili nobis exprimenda venit negotiô universalis indicatio, & quidem cum *Galeno* aſſerimus *L. 1. ad Glauc. cap. 11. Opportet in inflammationibus principia curationis optima fieri, nam quæ in ipſis errata contingunt, difficulter ſanabiles, aut omninò inſanabiles faciunt diſpoſitiones.* Nam & hìc competit illud Poëtæ:

Opprime, dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi,
Nam mora dat vires.

Nè verò tranſgrediar *Celſi* monitum *in præfat: Lib. 1. pag.* 10. relictum: *morbi non*

eloquentiâ, sed remedijs curantur. Ad rem propero, & primam statuo indicationem cum *Galeno Lib. 4. cap. 4. In omnibus, in quibus affectûs causa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio est.* Pro qua indicatione, omnia tollenda impedimenta, nè hinc inde limites inscribere valeant curæ, humorum abundantiam imminuere sit animus, cùm præsertim illi præternaturaliter excedentes, causæ formam induant. Discrasia attemperanda, viscida attenuanda, acria corrigenda, fibrarum strictura lenienda, obstructiones resolvendæ, pori aperiendi, quò natura vergit, per molimina excretoria, eò adjuvanda, incitanda, & confortanda venit, ubi Medicus agat ministrum, necesse est.

Cùm autem sanguinis stagnationem pro primaria assignaverimus causa, prima quoque ut curetur expedit: sicut verò & inflammationes sua quatuor observant tempora, principium namque, dum recens, & levis est; augmentum, dum magis affligit, ac increscit; statum, ubi omnia symptomata in summo vigo-

re ;& declinationem, in qua morbi ſolutio, in quibuſdam ſalutaris, in quibuſdam verò unionis vitalis diſruptio, & via ad Patres paratur, ſic quoque, ùt acutus morbus, citiſſimè ſua abſolvit tempora, nisi in principio materia affluens repellatur (ſi partis conditio, & ſitus admittat, ac non ad nobiliorem repellatur partem) revellatur ad loca diſtantiſſima, & ignobilia, derivetur ad oppoſita, intercipiatur per defenſiva, dum verò, vel neglecta, vel ob morbi malitiam abacta non ſit in principio cauſa affluens; ſtagnans, & affluxus reſolvetur, & diſcutiatur ſanguis. Si neque his cedere velit, ultimum arripiatur remedium per converſionem in pus, abſceſſus maturus, ſi ad extra, aperiatur, mun-detur, atque iterum læſa conſolidetur. Si interna, opus naturæ relinquendum, & tantùm lenientibus, emollientibus, detergentibus, conſolidantibus, ſuccurrendum. Accidit tamen his ſub curationibus perſæpè, ut immediatæ cauſæ occurrere non valeamus, ſed urgentiori ſymptomati ſuccurrere cogamur, ùt bene *Ga-*

lenus ait *lib.* 12. *cap.* 7. *Si causam ipsam, unde dolor excitatur, adimere possis, ità utique contra symptomata nō pugnaveris, sed ægritudinem curaveris, si qua occasione prohibitus affectui submovendo intentum esse non licet, vehementiam doloris mitigabis.* His ergò & prioribus indicationibus, ut satisfieri possit per convenientia, propero ad sequentia, interim tamen hìc sit

Quæstio Prima: An absque indicationibus quis curare possit? Negativè.

Secunda: An unum medicamentum duabus intentionibus satisfacere possit? ℞. Affirmativè.

THESIS IX.

Pharmaceuticum, per remedia interna, suppeditat auxilium.

UNiversalis indicatio causæ ablationem flagitat, causam obstructionem, & stagnationem esse diximus: stagnatio, & obstructio resolventi-

tibus, & aperientibus reſeratur, quibus autem in ſpecie remedijs, mox afferemus: Sunt autem talia remedia, quæ intrinſecus aſſùmpta cauſam debellant. Quemadmodum verò etiam devicto hoſti viam ſternere decet, adeoque accedent non minùs remedia externa; unde in duas dividere Theſes quoque animus eſt, in hac intrinſeca, in ſequenti extrinſeca aſſignantes medicamenta.

Inter intrinſeca ſunt, quæ ſanguinem ſtagnantem reſolvunt, circulationi reſtituunt, vel diſcutiunt, aut ſi ad cauſas mediatas reſpicere lubet, quæ acrimoniam abſorbendo, craſſitiem ſale volatili temperato reſolvendo, heterogeneum præcipitando operantur. Sunt autem talia vulgò dicta blandiora diaphoretica, quæ in principio, curæ punctum ferunt, teſtante *Waldſchm.* parantur ex antimon: diaph: lap. ocul. cancr. corn. cerv. mandibul. luc. piſc. dent: apr. ſang. hirc: unicor. foſ. Bezoar, &c. His ſi annumeremus nitrata, efficaciſſima parari valent antydota, diverſis formulis comprehenden-

da, admixtis nonnunquam ſpecificis pro parte affecta: ſic capiti convenit ſpecif. cephal. Michaël. pulv. panonic. rub. ſpec. de hyacinth. proſtant quoque pro hac intentione in pharmacopolijs diverſiſſima compoſita, ut pulv. antiplev. AA. imò copioſiſſima ab Authoribus hunc in finem afferuntur remedia diaphoretica.

Si tamen jam copioſior, impactiorque contigerit affluxio, & ſtagnatio, ijs adjici ſolet, ſal volat. CC. Viperar. urin. camphor. tinctur. Bezoart. mixtur. ſimpl. antihect. Poter. quæ activiori pollent reſolvendi virtute; aſt tamen Medici adſit judicium, neceſſe eſt, nè indiſcriminatim volatiliora adhibeat, ſed benè conſideret ſtatum morbi. Si adſit febris major, & dolor fortior, illa medicamentis calidis magìs adaugentur, minùs enim conducunt in magna turgeſcentia, orgaſmo, & ſpirituum petulanti motu, ubi eorum compeſcentiæ humorum, ſi non refrigerationi, ſaltèm moderationi, intermixtis etiam acidiuſculis, & frigidiuſculis ſtudere oportet, dein etiam, ideò abſtinendum

dum à calidioribus, nè diſſipatis volatilioribus particulis craſſior hæreat pars, & in ſcyrrhum tendat, cautus ſit eorum uſus, nè diſſipari ſubtiliores, & incraſſari terreſtriores juvemus.

Quòd ſi etiam contingat malignitatis quid ſubeſſe, adjicienda erunt alexipharmaca, utì ſunt: ſpec. de gemm frig: confect. alkerm, compl. & incompl. pulv. Bezoart. Sennert. Bezoar: or: camph: &c. quæ pro individui, & ſexûs diverſitate in doſi, & electione modificanda, ità ut non detur hyſtericæ affectioni obnoxiæ; confect. alkerm. complet. cùm moſchum, ambramque ferre non poſſit.

Sic pro ſymptomatum quoque præcautione, atque extirpatione multifaria addere lubet, in ſpaſmodicis contractionibus recommendantur cinabarina, ungul. alc. præp. ſuccin. alb. præp. cran. human. non humat. præp.

Ex his, & ſimilibus proportionatâ doſi (ùt ſuperiùs jam inſinuatum) jubemus parari pulveres, bolos, & mixturas, de prioribus elapſô ſingulô ſex aut octo

horarum ſpatiô, vel ad minimùm manè, ac veſperì unum porrigimus, cui patiens ſub quieto, ſi poſſibile ſit, decubitu, leniter inſudet, de poſterioribus, cum aquis appropriatis, ùt flor: ſambuc: ſcabioſ: cheræfol: card: mar: & benedic: ſcorzon: Bard: ſyrup. ſcab. &c. paratis ſingulo bihorio aliquot cochlearia probâ agitatione propinamus, utì eſt illa excellens, & magnæ virtutis Ettmilleri ℞. aqu. hyſop. fænic. à unc: dua. acet. diſt. drach. dua. Spirit. Theriac. drach: Sem. ocul. cancr: drach. un. ſperm. cet. mumi. à Scrup. un, laudan. opi. gr. quat. ſyrup. de 5. radic. unc. un.

Interponimus ad demulcendam humorum acrimoniam, & æſtum temperandum, fibrasque in quietem relaxandas, nocturno tempore emulſionem, ex ſemin. card: benedic: mari: citr: ſcorzon. papav. alb: 4. frig. maj. cum aquis prædictis, alijſque diluentibus, ùt endiv: papav: errat: Anagalid: aquat: acac: Tuſſilag: lactuc., prunell: additis abſorbentibus, nitratis, julep: roſar: violar: ſyrup. de

de alth. Fernel: aut alijs, pro rei exigentia.

Continuamus his & ſimilibus per prima principij, & augementi tempora, ſperantes has fore naturæ ſupetias, exſpectantes ſalutarem inde ſolutionem, quò minùs verò facilè adeò in conatibus natura deficiat, ſub ſtatu cardiacis, et analepticis eam inſtauramus; talia ſunt, potiones ex margar: præpar: corall: rub: præpar: CC. philos: præpar: oſſ: de cord. cerv: ſpec: de gemm: frig: aq: 4. cordial: ceras nigr: CC. citr. cordial. frig. Hercul. Sax. cum confect. Alkerm. ſyrup. acetoſ. citr. violar. ſimpl. papav. rhead. man. Chriſti. perl. conſtantes, nitroſisque acidulatæ, ùt & æſtui febrili levamen feramus.

Si hìc opiatis utendum, ob narcoticam, & incraſſantem vim per ſe non arrident, nisì diaphoreticis, cardiacis, & alijs commixta ſint, & tamen, ùt ſuprà innui, adhuc cautè.

Quærenti, cur hìc omittam purgantia, cùm tamen in cauſis cacochymiam accuſaverim, quæ non nisì purgantibus tolli-

tollitur? Respondeo, verum quidem esse, me aliquando etiam concedere cacochymiam pro causa inflammationis, ast tamen non video rationem sufficientem, ubique sinè discrimine cacochymiam petere, & indicare purgationem, præsertim, ubi contraindicans obstat, imò majores in tali statu excitarem turbas, ob stagnationem, humores funderem, fluxionem adaugerem, consequenter morbum nutrirem, neque ullus Authorum hoc suadere videtur, cùm non liceat uni succurrere, & alterum adaugere. Recordetur quæso, adversarius, me etiam assignâsse copiosum fluxum ad partem affectam, nonné talis adaugeretur per tam violentum motum in massa sanguinea excitatum, *Waldschmidius* nec gargarismum, (qui tamen pro pororum reseratione prodesse videtur) in angina, in morbi principio approbat, cùm per talem motum major fiat irritatio. Observo, & teneo sententiam *Hypocratis Germani, Celsi* dicentis: *A parte inflammata quò plus purgaveris, plus addes.* Non tamen rejicio, quin appro-

probo, reſeratâ ſtagnatione, aliquod lenitivum, ubi nullus amplius reſtat metus, per decurſum verò morbi æque enemata approbamus.

In inflammationibus ſpecificis internis v.g. in pleuritide, ubi pus confectum eſt, etiam ad anacatharſim diſponi debet per lenientia: ùt eſt oleum amygd: d. cum ſachar. cand. ol. lin. deſtit. &c. & expectorantia per idem ol. amygd. ſyrup. violar. papav. errat. capill. vener. de jujub. de liquir. mucil. ſem. pſil: aq. appropriata extract: vel decoct: hord. paſſul. jujub. ſebeſt. fic. herb. ſcabioſ. capill. vener cheræfol. hæder. Terreſt. flor. Belid. papav. violar.&c. ubi tamen ſemper univerſalia præmittenda, ùt venæſectio, clyſter lenitivus. Plura verò circa cibum, & potum dicemus infrà Theſi ultima de Diœta.

Quæſtio Prima: An dentur medicamenta ſtrictè ſumendo ſpecifica?
℞. Negativè.

Secunda: An *Galenus* imitandus dicens: *quæ in alto ſunt corpore, cum proprijs*

phleg-

phlegmonis remedijs aliquid acrium Medicamentorum requirunt. ℞. Affirmat:

Tertia: An ros Majalis conducat, & æquivaleat ſpirituoſis medicamentis? ℞. Affirmativè.

THESIS X.

Materiam Medicam ex fonte Chyrurgico cum medicamentis externis extollit.

SEmel pro ſemper, atque ubique, antequam ordinantur remedia, recolligendum habet Medicus, quòd reſpectum habere oporteat, & cauſæ, an maligna, an benigna. Ætatis; an juvenis, puer, vel ſenex. & ſexûs, an vir, an fœmina. Excretionum, an conſuetæ, & hæ iterùm an retentæ, an non, vel inconſuetæ. Conſtitutionis, an nobilis, an plebejus, an ruſticus. Regionis, an calida, an frigida. Morbi temporis, an initium, an augmentum, an ſtatus, an declinatio. Ejus eſſentiæ, an acutus

(ſæpiùs)

(sæpiùs) an non (& rariùs) Constitutionis patientis, an timidus, an audax, an meticulosus, an deliquijs subjectus. Ultimò tandem virium, an robustus, an debilis, an valetudinarius, Athleta. Quibus annectimus an sit plethoricus, an cacochymicus.

His ità prælibatis, quæ & Thesi priori applicari volumus, ex fonte chyrurgico depromentes remedia, eadem observari volumus, & quidem præ omnibus circa usum venæsectionis, quæ etiam præ medicamentis pharmaceuticis, si locum habet, celebrari debet, illa enim, ùt *Galenus* habet, seu, ut verbis proprijs utar: *sic & vasorum evacuatio, si quidem qualem fieri decet, fiat, confert, & facilè ferunt*. Accedit expertissimus *Waldschmidius*, inquiens: *Venæsectio in quavis inflammatione est administranda.*

Ast audio obmurmurantem infensissimum venæsectionis osorem *Helmontium*, dicentem: Sanguinem extra vasa non ampliùs in ea reduci valere per hoc remedium, & sic frustra esse, & crude-

delem ejus administrationem. Huic tamen, omni ejus sublimis scientiæ adhibitô respectu, repono, eum in malo versari supposito, nos hìc velle extravasatum reducere sanguinem, ast potiùs, ob nimiam affluxionem, seu motum progressivum, stagnationem, vel ex copia, vel ex vitio crassitiei, aut motûs nimij, seu fermentativi, *levatâ namque, quæ corpus nostrum regit, naturâ, exoneratòque eò, quò velut sarcinâ premitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincet. Galen. lib. 2. de morb. curat.* non enim aliud intendimus, quàm speramus per venarum aperturas imminutâ in vasis exterioribus quantitate, relaxatâ in interiorum, superiorum, aut viciniorum partium vasis, sanguinis compage, non tam portionem ejus à parte stasi obsessâ subtrahere, quàm & nimiam eò pressuram moderari, ac congestionis augmentum maturè antevertere, ut sic natura parte oneris levatâ faciliùs motu suo propulsoriô ac divulsoriô discussionem possit consequi.

Quibus accedit, nos non velle sequi

Veterum illorum methodum, & mittere ſanguinem uſque ad animi deliquium, aut coloris mutationem, cùm citiùs vitæ defectum, quam bonum effectum expectare cogeremur.

Nec etiam hanc inſtituimus apertionem, nisì in morbi principio, ut ità motum illum exceſſivum, & fluxionem retardemus, atque ſiſtamus, & præſertim adhibitis circumſpectionibus, quas in Theſeos initio propoſuimus, in principio enim diſpoſita eſt materia pro evacuatione, quæ in ſtatu incraſſeſcit, in initio adſunt vires, in ſtatu deficiunt; ex eadem ratione non convenit in malignitate conjuncta, ubi ſpiritus per ſe ligati, atque hebetati: nec tam facilè celebranda eſt in prægnantibus. Sequimur præceptum *Hypocrat. lib. 5. aphor. 30.* dicentis: *Mulieri in utero gerenti, ſi vena ſecetur, abortit, & magis NB. ſi fœtus ſit grandior.* Neque pueris uſque ad annum quartum & decimũ, imò neque ſenibus, præſertim viribus debilibus exiſtentibus, nisì ſum̃a exigat neceſſitas, ùt vult *Aëtius 3. tetrab. ſect. 3.*

 Ul-

Ultimò tandem non unâ, ſed repetitis mittere vicibus expedit; tum, nè vires depauperentur, tum, ut leviori ferat commodô ipſe æger, nam *omne nimium naturæ inimicum.*

Ubi verò, quaque in parte illa inſtituenda ſit, multi grandes inſtituerunt diſputationes, & lites, ratione ſcilicet derivationis, & revulſionis, quippe dixerant, ſi ſanguinē fluentē à nobiliori ad ignobiliorem derivare partē eſt animus, illa fiat in parte diſtantiſſima, ſic in inflammationibus partium capitis, illam in pedibus adminiſtrabant, putantes, per hoc maſſam illam, aliàs ad caput tendentem, illuc fluere, dum verò ſanguinem jamjam collectum, & fluxum revellere volebant, eandem in oppoſita parte celebrabant, ut ità ille, non opus habens longiori circulô, ſanguis citiùs ad contrariam ablegetur, aut viciniorem partem.

Nos verò induſtriâ aureâ Harvæi circulum ſanguinis edocti, quòad univerſalem evacuationem multùm ab eis recedimus rationibus, cùm non potior

pro

pro hac, quàm illa parte militet ratio, imò certum eſt, omnem ſanguinem quaſi ex eodem fonte oriri, in eundemque rursùs transportari, ità, ut levata in una parte natura, & ſpatium pro reſolutione aſpiciens, non negligens eam tentabit: Si verò ad particularem attendamus venæſectionem, lubentes venerandæ antiquitatis capeſſimus fundamenta, cùm experientia comprobet, v. g. in angina benè prodeſſe raninarum inciſionem, in uteri phlegmone popliteæ, & nì hæ ſufficiant, etiam aliarum in alijs locis.

Cùm in prænotationibus ſuperiùs in hac Theſi etiam mentionem fecerimus de ſexu, ætate, viribus, & timidis, aliud Medicina excogitâſſe pro illis videtur remedium, quod non raró ipſi venæſectioni pro re nata ſubſtituere conamur, ſunt autem inſecta illa in ſtagnis reperibilia hyrudines dicta, quæ in ſexu ſequiori delicato, & timido, quandoque ſubſtituuntur venæſectioni, & ſic alicui evacuationi ſatisfacimus, dum nimirùm plures affiguntur locis venoſis, illisque animal-

culis in cauda læſis ſanguis flui ſinitur ad ſufficientem quantitatem: non tamen in evacuatione conſueta cathamæniorum retenta pro omni ſufficiunt ſemper ſcopô, ſed lancetam, ſeu phlebothomum eligere cogimur. In infantibus, ob tenellam venarum conſtitutionem venæſectionem non ſufferentibus ejus vices agere hyrudines, experientia Perilluſtris, ac Honorandiſſimi Profeſſoris noſtri Primarij nos docuit. Vires eis non adeò abſumi authopſia condocet, nam non tantô impetu, ſed lentè, & quasì inſenſibiliter ſanguinem educere ſolent.

Succedunt cucurbitulæ cum ſcarificatione, quæ æquè è minoribus vaſculorum ramulis evacuationem quandam præſtant, haud inutilem. Affiguntur frequentiſſimè ſcapulis, brachijs, cruribus, &c. applicamus eas nonnunquam ad partem læſam, dum morbi cauſam ictus venenati cujuſdam animalis ſuppeditavit.

Et iſta ſunt arma illa diverſa, enſes, haſtæ, ſpicula, & tela, quibus ferocem hunc

hunc incenſorem à Troja noſtra ornatiſſima abigere conamur.

Nec tamen hæc omnia ſunt, quæ ab extra præſtari poterunt, verùm remedia alia ordinari poſſunt, & in loco, ubi vel externè, vel ſub quo internè inflammatio latitare creditur, applicari valent.

Talia ab initio ſunt reſolventia, aperientia, diſcutientia, atque defenſiva. in augmento temperantia, & conſervantia naturalem partis temperiem. In ſtatu iterùm reſolventia, & aperientia, ſi his non cedat, etiam ſuppurantia, maturantia, & tandem mundificantia, pro diverſitate cauſæ, ſymptomatum, & loci affecti. præparantur diverſa in forma, ùt empl: cataplaſm: foment. fot: colyr: gargariſm: &c.

Quæcunque tamen hìc afferimus, pro majori parte inſerviunt pro externis, ſuô tamen modô contra internas etiam accommodanda erunt.

Laudantur ab initio valdè, ubi fluxio incipit, & tumor levis adeſt: primò oxicratum, quod non, ùt fortè vulgus cre-

dit, constringendo, aut eam impedit, aut adauget, sed volatilioribus particulis cutis intrando poros, eos reserat, & obstructiones resolvit, deinde excellit camphora, tam in substantia, quàm diversa in forma præparata, aut admixta, utì est, spirit. vin. camphor: croc. tartarisat: cùm alcalicis suis volatilioribusque qualitatibus absorbendo, reserandoque summè laudetur: succedit sal armoniacum, utì est ejus spiritus cum vini spiritu commixtus, prodest & spiritus matricalis, aq: calc: viv: multaque alia alcalia, & volatilia. Dolæus sequentem suam mixturam valde laudat, quæ constat ex aq. calc. viv. unc. iij. spirit. vin. camphor. crocat. matrical. à unc. j. sal Saturn. drach: j. in vitro usui asservatam, sæpiùs cum linteis duplicatis applicandam. Sunt & alia terrea, alcalia, & absorbentia, maximè spicula acida obtundentia, & absorbentia, utì est lythargir. bol: armen, terr. sigill. mastich. borax. gumm. ammoniac. thus, &c. ex quibus diversæ formari valent formulæ pro Medici prudentia, & patientis utilitate,

tate, modò humida ſub forma, modò ſicca, tepidè tamen ſemper applicanda, cùm frigida inimiciſſima, teſtante *Waldſchmidio*, imò haud rarò fiant gangrænæ productiva. Sic non minùs repellentia, adſtringentia, ſtiptica, & ſimilia, prudenti rarò ſint in uſu Medico, nam facilè agyrtarum

Quos faciunt nisi non aliena pericula cautos.

methodum ſequens, poros obſtruens, materiam incraſſans, calorem nativum ſuffocans, gangrænam, ex hac ſphacelum, & tandem mortem accelerabit.

Augmentum intendens malum, potentioribus, præmiſſis univerſalibus, reſolventibus, & aperientibus, procedendum, non tamen importunis, nè poſtea diſſipatis ſubtilioribus partibus craſſa, & ſcyrrhoſa remanet compages. Parantur ex herbis ſale volatili balſamico abundantibus, utì eſt: herb. malv. violar. roſmarin. rhut. ment. meliſſ. verbaſc. ſcord. veronic. chærefol. flor. ſambuc. melilot.

chamomill. radic. althæ, &c. ſem. cumin. carv. fænicul. ex quibus parata proſtant apud Dolæum tinctur. phlegmonica, aut cathaplaſma ejus ex herb. rhut. ſcord. abſynth. à M ß. pulv. rad. brion. unc. ß. drachm. ij. flor. chamomill. ſambuc. à M ß. farin. lupin. unc. j. Bacc. laur. drach. x. coq. ad conſiſt. pultis mollis, adjectô ſpirit. ſal. armoniac. cum calc. viv. parat. drach. ij. bis vel ter de die applicat. vel Ettmill. ſuū extollit fomentum, quod parat ex lytharg. lib. ß. flor. roſar. rub. M. ij. myrrh: Thur. maſtich. à unc. ß. aq. calc. viv. recent. lib. iiij. acet. deſtill. lib. i ß. coq. donec lytharg. ſolut. circa finem addit camphor. unc. ß. colat. & tepidè cum linteis applicat. Perilluſtris, ac Spectabilis Dominus Profeſſor noſter honorandiſſimus ſuffumigium ſuum commendat ex nucib. avel. cum cortic. virid. unc. ß. cort. extern. betul. drach. iij. Flor. ſambuc, ſabin. à drach. ij. flor. croc. camphor. à drach. ß. adject. ſi lubet, pro placido, origan. In exceſſivo calore nonunquam anodina admiſcere lubet ex malv. althæ.

mu-

mucilag. earum vel ſemin. pſil. &c. quæ tamen mucilagines obſtruendo, & obliniendo poros à multis improbantur, ſi verò & calorem temperare eſt animus, adjicimus aperientibus ſuccum ſempervivi, portulac. lactuc. ſolan. umbilic. vener. qui ſucci non propriè refrigerando, ùt quipiam putant, ſed efferum motum ſopiendo, levamini ſunt, adhibitâ omni cautione, nè actu frigida, ſed tepida applicentur, nè per frigus actuale pori conſtringantur, malumque in deterius abeat. Acida, & unctuoſa ſummè fugienda volumus, tum, quia facilè calorem nativum ſuffocant, corrodunt, gangrænæque viam ſternunt. Improbamus non minùs emplaſtrorum applicationem, nam poros occludunt, liberamque retinent tranſpirationem, nisì ſint ſimul diaphoretica, ſæpiusque renovata, utì eſt emplaſt. diaſulph. Ruland. diaphoret. Minſicht. de ſperm. ranar. &c. quæ tamen non tenaciter adhæreant parti, ſed ſæpiùs reſoluta, & inhærens humiditas abſtergatur, & locus temperatus ſit, neceſſe eſt.

 Sta-

Statum attingens phlegmone minimè repellentibus insistendum, ast potiùs opera danda, ut ea, quæ impediri nequiverat fluxio, pro possibili sensim derivetur, & aperiatur, si verò pro partis ratione suppurationem intendet, eadem adjuvanda, & nullô modô natura in suo opere impedienda, quæ peragitur ijs, quæ poros occludendo intestinum adaugent motum (ùt febris, & dolor quoque increscat, patat ex *Hypoc.)* agendo, reagendoque tandem pus coctum præcipitare conantur, utì est emplast. Diachil. de melilot. cum ol. lilior. albor. malaxat. Palmam verò præripiunt cathaplasm. quæ vel emplastris superponuntur, vel per se applicantur, ex malv: viola. menth. rad. aristoloch: rotund. semin. lin. fœn. Græc. vitel. ovor. &c. quæ vel in aqua simplici, aut lacte decoquuntur. unde laudatur lac, in quo sapo incoct. vel illud Dolæi ex herb. althæ M. ij. Menth. M*ß*. Flor: chamomill: melilot: à M. j. coq. in lact. dulc. lib. iij. in fine adde mic. pan. alb: farin. sem: lin: à unc: iij. ol. diapalm: unc:

unc. j. vitel. ovor. n: iij. croc: parùm: M.F. cathaplas: vel illud Sorbayth: ℞. herb: malv: mic: pan: à lib. j. coq. in lact: capr. ſ. q: & çum ol. roſar: F. cathaplas: vel ex mel: unc. ß. ferment. drach. ij. ocul. cancr. ſal: volat: ſuccin. & pingued: lepor: unc. iij. paratum. Sunt & centena alia tam multis Authoribus, quàm Chyrurgis, imò plebi notiſſima, ut hìc plura afferre ſuperſedere conſultum ſit.

Confectum ſic pus quandoque ſe ipſum manifeſtat ex ceſſatione febris, & doloris, teſtante *Hypocrate*, cutis elevatur quaſi in mucronem, levis ſentitur, & tremula pulſatio, pars albeſcit, molleſcit, & prementi facilè cedit, ſin minùs, vel ob partis profunditatem, vel loci craſſitiem contingit, ubi tamen Chyrurgus, aut Medicus prudens facilē ſibi formabit Idæam. Tunc verò quantociùs opera danda, ut illud evacuetur, vel à natura, vel arte, nè contentum ultra tempus, fibras dilaceret, profundas agat radices, ſinus, fiſtulasque inducat. contingit non raró, ut ipſa natura conatus ſuos demon-

ſtret

ſtret per cutis dilacerationem, puriſque excluſionem, ſi verò moras traheret, pusque optimè confectum appareret, in ſuperficie ſitum, lancetâ; in profundo latitans, cultrô inciſoriô vulgò Inciſion-Meſſer ei exitus paretur. Ubi tamen notandum: ſecti, vel uſti, ſi pus confertim effluat, periclitantur, ob vires unà cum pure excretas, adeoque meliùs in copioſo retento pure per vices evacuandum.

Abſceſſus apertus purificandus erit cum balſam. ſulphur. therebint: balſam. peruvian. therebint: mel: roſar: farin: hord. &c. quæ ſimul pus ex extravaſatis particulis conficiunt, confectum abſtergunt, ulcuſque mundificant.

Sarcoſis, cùm ſit naturæ opus, Medicusque tantùm miniſter, per Diætam analepticam, decoctum vulnerarium intùs ſumptum, potum Thee, &c. eam adjuvet. quæ autem omnia hìc dilucidare, non eſt hujus fori. Cicatrix inducenda nonnullis inepta videtur, cùm ipſa natura provida mater ex correcto, & laudabili nutrimento per ſe ulcus claudere conetur.

Si

Si verò (ùt ſæpè) contingat ex morſu animalis, aut inſecti venenati inflammationem oriri; aut cathaplaſmata paramus ex theriac: midritat: diaſcord: pulv: buffon. &c. aut ea præcedentibus commiſcemus, ut etiam ab extrinſeco vis deleteria exſtinguatur, figatur, & adjuvantibus alexipharmaco-diaphoreticis, intus aſſumptis è corpore eliminetur. Sunt, qui ſuadent, animalia viva, ùt gallinas, columbas, &c. per medium ſecta, aut carnes aliorum recenter mactatorum animalium applicare, non ommiſſis diaphor: bezoarticis internis.

Dum gangrænam ſibi ſubſequi velit inflammatio, occaſio ei, quantum fieri poteſt, deneganda, per ſuperiùs allata volatilia, partem jam quaſi emorituram reviviſcere facientia, ſi verò fruſtrà impediatur, ultimum tanden amplectendum remedium, & ſummus morbus ſummô remediô tollendus, nempe exſtirpatio membri, cujus conditio, & ſitus conſentit tentanda. Non tamen hìc quiſpiam credat etiam v. g. genam, aut labia

labia gangrænata tolli detruncatione capitis, aſt tantùm intelligimus partis emortuæ minùs principalis; meliùs enim eſt patientẽ mancum, vel unipedem facere, quàm certæ mortis relinquere, & ſubjicere falci. Et hæc ſunt, quæ brevitatis ſtudiô de generali topicorum applicatione inſinuare intendebamus, non volentes rem ad nauſeam prolongare, cùm quivis artis noſtræ amans, & alumnus copioſas ſibi efformabit tam ex his, quàm Authorum voluminibus formulas, ut ſemper aſſociatô prudenti judiciô patienti ſatisfacere queat. Pro concluſione Theſeos particularia quædam de internis, & principalioribus, quotidianâ oblatis experientiâ, inflammationibus annectere placet, & quidem

In phrenitide, præter alia applicantur animalia viva diſſecta ad caput, & plantas pedum.

In ophtalmia colyria præferuntur, ex aq. euphraſ. fœnicul. &c. roſar. ſpirit. vin. ſachar. Saturn. camphor: tut: croc. ſang. columbin. calidè inſtillato. Sacharo ſubti-

ſubtiliſſimè pulveriſatô inflatô. Album: ov. cum Alumin. conquaſſatum, multaque alia, quæ à vetulis etiamnum affatim ordinantur.

In angina conducunt gargariſmi, qui verò ab initio non bene utuntur gargariſando, ſed potiùs injiciendo per ſyphonem, vel in ore detinendo; cùm violentus ille motus majorem inducat irritationem, & conſequenter influxum, & ſtagnationem pertinaciorem, ùt refert *Waldſchm. lib. 2. c. 1.* Parantur ex moro, corticibus viridibus juglandum, melle, apud *Waldſchm.* vel etiam ex flor. ſambuc. melilot: chamomill. herb. alth. malv. radic: alth. ſemin. fœnic. mel. roſar. &c. Extus cathaplaſma ex nido hirundinum cocto, & applicato, vel etiam paratum ex reſolventibus, & aperientibus. Tumor verò etiam foras vergens, & pertinaciòr, ad ſuppurationem ducendus, cavendo verò, nè intrò tendat, cùm facilè ſuffocationem minetur, univerſalia, ùt venæſectio. ſudorifera in omnibus his ſpecie-

bus

bus nunquam negligenda, ſed opera danda, ut tumor intus extrà tendat.

In pleuritide, externa, quæ in uſum veniunt, ſunt: applicatum cathaplaſma ex olibano, ſuperpoſitâ inter duplicia lintea avenâ toſtâ. vel decoct. malv. violar: verbaſc: flor. ſambuc. melilot. chamomill. chærefol. veronic. ſcabioſ. ſcord: &c. in lacte facto commixta, & cum linteis, aut veſicâ bubulâ incluſum applicatur decoctum, aut ſacculi ſicci ex florib. chamomill: ſambuc: ſemin. fœnu-Græc. aniſ. &c.

In inteſtinorum phlegmone enemata ex prioribus, aut lacte parata, conducunt, extrinſecùs quibuſdam placet omentum, & partes animalium calidè è corpore deſumptas applicare.

Et hæc etiam maximè uſitatæ in ſpecie ſunt inflammationes, ad quas, uti & omnes morbos devincendos Megacoſmus ex omni trino regno, animali nempe, minerali, & vegetabili Microcoſmo ſuppeditat arma, quibus tamen, cùm omnium Authorum, & præſertim Theſium

no-

noſtrarum, libri ſunt pleni, ultrò ſuperſedemus, atque nos convertimus ad eà, quæ è fonte diætetico haberi poſſunt, pro quo ſit interim

Quæſtio Prima: An in inflammatione hepatis hepaticá, in phrenitide cephalica ſecanda vena? ℞. Problematicè.

Secunda: An cucurbitulæ ſcarificatæ venæſectionis locum adimpleant? ℞. Negativè.

Tertia: An camphora refrigeret? ℞. Per accidens.

Quarta: An valeat Hypocratis aphoriſmus: *Frigidò in his utendum, unde fluit, aut fluxurus eſt ſanguis?* ℞. Cum diſtinctione Affirmativè.

THESIS ULTIMA.

Diætam ordinatam inſtituit.

TErtium tandem membrum, quod amplectitur Medicus in curandis inflammationibus, eſt Diæ-

ta, ſeu fons diæteticus. Sicut enim in cauſarum procatharcticarū dilucidatione malam diætam incuſavimus, ſic hìc eam per emendatam, & proportionatam oppugnabimus, verum enim eſt, ejus præpoſterô, ac inordinatô regimine inflammationem augeri, propagari, ſymptomata exacerbari, naturam in molliminibus turbare, ſed ècontra bona illius administratio iterùm bonum ferre levamen, ſolamen, auxilium, & ſalutem introducere poteſt.

Non tamen diætæ nomine ſolum includimus cibum, potumque, aſt & omnes ſex res non naturales, quæ ſunt aër, cibus, & potus, motus, & quies, ſomnus, & vigiliæ, excreta, & retenta, atque animi pathemata. Cùm non minùs ac cibus etiam hæ ſint homini neceſſariæ.

Sic Primò aërem frigidum angue pejus, & cane fugiendum eſſe docet *Waldſchmidius*, nè poros conſtringere facilè tentemus, ijs conſtrictis, & obſtructis ſtaſim augeamus, ècontra eligendus tepidus, temperatus, ſerenus; ſi non per ſe

talis

talis reperiendus, ſalutari in cubiculo remorâ concilietur.

Circa victum, de quantitate ciborum vix quidquã dicendum eſt, cùm inappetentia plerumque ea ſit, ut ad ſumendum etiam modicum fermè rogari velint patientes. Sit igitur de qualitate hìc nobis ſermo, & conſtet ex juſculis capon. gallinar: carn: Ptiſanâ, cremor. hord. alteratis acetoſ. endiv. cheræfol. borag. ſucc. citr. & limon. vel etiam adjecta gelat. CC. Ebor., ac calidè ſæpiùs ſorptis, expedit, enim delectationi quidpiam detrahere, & illud ſanitati adjicere, *ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extremè tenuiſsimô victu utendum eſt. Hypocrat. ſect. 1: aphor. 7.* vitanda omnia acida, acria, craſſa, fructus horæi, fumô, & ſale condita, aromatica fortiora, caſeus, &c. quæ vel chylum craſſum ſuppeditando, aut augere obſtructionem, vel exagitando majorem motum, & fluxionem conciliare valent. Potus ſit decoct. ex raſur. CC. ebor. hord. radic. gramin. cozon. paſſul. jujub. flaved. citr. aut ſi

varietas delectet, potus aquæ fontaneæ pane triticeo, aut anisatô tostô correctæ porrigatur, vel misceatur cum tinctur. flor. papav. rhead. violar. farfar. borag. buglos. sambuc. cerevisia tenuis, aut hordeata, aut medicata præcedentibus, in delicatioribus concedi valeret, si non contraindicet febris major, & æstus, præferuntur verò decocta. Nunquam tamen actu frigidi ingurgitandi potus. Abstinendum tamen à vino, murmuret desuper quòusque velit plebs bibula, & obtrudat, vinum vires reficere, cor lætificare, multis conduxisse ad vitam, & sanitatem, illudant illi, ùt fit, Medico, sed probam nè repetant, nec alij imitentur, quæso, saporem enim sciunt vini, non texturam, ac virtutem particularum, nisì dū ebrij dolorosè noxam persentiscunt, nam Medicorum monet Abavus *Celsus lib. 5. cap. 26. pag. 299. vinum omnibus, dum febris dum inflammatio est, alienum est.* Sicuti enim acida nocent, sic quoque vinum ob acidum contentum, & intrò assumptum idem præstat.

Mo-

Motus, quamvìs non appetatur à ſtragulorum mancipio, tamen non nunquam violentè appetitur, maximè ab officijs urgentibus adſcriptis, meliùs enim eſt, unâ alterâve ſeptimanâ quietè lectum inhabitare, quàm accumbendo mortis cœnæ officium anhelanti cedere ſucceſſori. Quies tamen omnimoda magìs inviſcat, & incraſſat humores, adeóque pro morbi diſcretione levis deambulatio per vices tentanda.

Somnus communiter ignotus videtur phlegmone detentis, quod tamen non ſempiternum, adeoque in aſſuetis pro re nata modificandus, contrariæ verò vigiliæ, cùm valde virium inferant jacturam, coërcendæ.

Excernenda tam ſenſibilia, quàm inſenſibilia eliminare conati ſumus jam toto curæ noſtræ tractu, adeoque crambem recoquere abhorremus, ſi tamen contingere accideret, ea modum excedere, pro Medici prudentia corrigenda, & moderanda forent.

Animi motus fortiores, ùt ira, ter-

ror, mœſtitia, exceſſiva lætitia, cùm vel exagitando, vel retardando fluxum, refluxumque maris Micro-coſmici, nocivi ſint, coërcendi ſunt, confirmante *Waldſchm. in monit. midic. fol. mihi* 419. adeòq;

Calidus fotus, tepidus potus,
Quies, inedia, bona remedia,
Cum patientia, erunt ingentia.

Atque hæc ſunt, quæ ad eliminandum infidum reipublicæ Micro-coſmicæ hoſtem adducere conati ſumus, non volentes integros proponere diſcuſſionum Tomos, ſed pro modulo paucis complecti erat animus ea, quæ inflammationẽ tam in genere, quàm in ſpecie explicare, & ejus curas facilitare poſſent, cujus nobis hìc Jehova ſit



COROLLARIA.

Prima: Vapores ex cibis exhalantes quempiam per nares, & os fame privare possunt.

Secunda: Medicus non attingens semper suum prætensum finem culpandus non est malæ curæ.

Tertia: Non omnis morbus malus dici potest ratione finis.

Quarta: Medicus anathomiâ instructus sit, summè necesse est.

Quinta: Morbi occultarum qualitatum nulli dantur.

Sexta: Non datur spiritus naturalis in hepate genitus.

Septima: Læsio cordis non semper per se lethalis est.

Octava: Ira non dependet ab effusione bilis in stomachum.

Nona : Urina non est certum signum speciei morbi , nec pars affecta semper ex illa dignosci valet.

FINIS.



Ad-

AD PRÆNOBILEM, AC DOCTISSIMUM DOMINUM DEFENDENTEM.

NOn ità per ventos venit omnibus aſſa columba,
Sed qui ſe ſtudijs conatur reddere clarum,
Sedulus ac prudens ſit, id ars expoſcit, oportet:
Annuus hûic Medicus curſus non ſufficit unus;
Hos exhauſiſti fontes FRANCISCE per annos
Tres, Tibi quos Ordo Medicus jam tempore promit.
His evolviſti Medicos noctesque, diesque
Libros, aſt ſequitur nunc Numine dante labores
Optatus dudum finis cum laude perenni,
Quam reſpondendo ſimul opponendo mereris
Veſuvij diras humano in corpore flammas
Tollis, & extinguis nunc doctâ & mente ſagace,
Examen pateris, rigidam ſcandendo cathedram,

Ut

Ut recrees tandem lassatos corporis artus,
Ac simul ægrotis sanissima corpora reddis:
Hinc meritò exhaustis applaudo laboribus artis,
Et precor, ut tantos bona fama sequatur honores:
His paucis volui tibi solvere debitum amoris,
Sint rata vota: DEUS velit his benedicere ab alto.
Undique sis felix, successibus utere faustis.

Incomptâ ergò hac musulâ, & sequenti cabalisticô hæc consecrata cupio:

Arte tua infirmo, ac superis pietate placebis.

Proba.

A - 1	I - 9	S - 90	p - 60	p - 60
r - 80	n - 40	u - 200	i - 9	l - 20
t - 100	f - 6	p - 60	e - 5	a - 1
e - 5	i - 9	e - 5	t - 100	c - 3
t - 100	r - 80	r - 80	a - 1	e - 5
u - 200	m - 30	i - 9	t - 100	b - 2
a - 1	o - 50	s - 90	e - 5	i - 9
	a - 1			s - 99
	c - 3			
497	228	534	280	190

Summa Summarum 1719.

Georgius Fridericus Medicus, Mogonus, AA. LL. Phil. Mag. Med. Audit.

MAXIMILIANUS
SEYFFERT.
ANAGRAMMA.

I, Tueâre, fis *Ità verè fis* *I, ut è re fias*	*Nix flammis.*

In Thesibus lustras Microcosmum; Heu! ignibus ardet,
Pars flagrat, & flammat, pars alia usta perit.
I, TUEARE Hominem, si illum depascitur ignis
In flammis totum, scis, aqua & unda valent,
I, TUEARE, istis FIS NIX contraria FLAMMIS.
VERE ITA FIS FLAMMIS NIX, aqua mox & eris.
I ergò, UT FIAS E RE NIX humida FLAMMIS.
Si nix fis flammis, fis simul unda rogis.
I, tueâre tenet quas inflammatio partes,
Si tibi non dat aquam, fert anagramma nivem.

Ità accinebat in Applausum.
ANTONIUS, JOANNES, FRANCISCUS GEONER, AA. LL. & Philos. Magist. Medic. Auditor.

Syrius exſiccum vix deſijt urere Mundum;
Flammas, atque æſtum jam Microcoſmus habet,
Ecce flagrant, accenſa rubent, flammata cremantur
Ora Microcoſmi! eſt hinc calor, inde dolor.
An rogus hic Medicâ potis eſt extinguier arte?
Fac bene, ſi calles, fac, quia & ipſe cales.
Ipſe cales, totúsque flagras chariſsime Frater.
Ignem igne extingues? non bene, at adfer aquam,
Æſtus erat, magnuſque labor geminaverat æſtum
Hactenus, ut modò non, fac, tibi deſit aqua,
Ergò animo ſis macte tuo, dum ſtella Leonis
Mitior in ſigno Virginis eſſe ſolet.
Macte animô, macte ore, ardore, calore, labore,
Mox erit ex æſtu dulce refrigerium.

Hæc amico carmine accinebat Fratri
ſuo dilectiſſimo.

Joſephus Ignatius Seyffert,
Art. Pharm: Candid:

